I. 132

Dissertatio Theoretico-practica

DE

FEBRIBUS CONTINUIS:

SEU

Nova de *Febribus* Hypothesis

Aucta & Illustrata:

IN QUA

Tam *Febrium Causæ* & *Symptomata*, quam *Juvantium* & *Lædentium* ratio, quin & tota fere *Oeconomia Animalis*, nova methodo explicantur.

Authore, *A. B.* M. D.

LONDINI:

Excusa impensis *Johannis Hepburn* ad insigne trium Leonum nigrorum, in platea vulgo dicta *the Strand*, exadversum vicum qui *Catharine-Street* dicitur. *An. Dom.* MDCC.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

PRÆFATIO.

FRuſtra me quidem natum, atq; inutilem prorſus hujus mundi civem vixiſſe arbitrabar; niſi aliquid in humani generis ſolatium commune, in hac præſertim calamitoſa mortalium vita, proferre anniſus fuerim: In hunc igitur finem conamina mea de arduo hoc Febrium continuarum ſubjecto, nunc depromens; ea prius rationis lance trutinanda ſiſto, quam aut præcipiti credulitate amplectantur, aut neglectu, ſeu faſtu ſupercilioſo rejiciantur: Si parum ſolidi aut utilis præ ſe ferre videantur, venia ſaltem me dignum ſpero, qui publico inſerviendi gratia, æſtimationis propriæ jacturam facere periclitabar, ex malevolentiæ nimirum procella, quam mihi impendere conſpexeram; præſertim ſi, auſpice Numine, quid dignum, i. e. quid hominum æmulationem aut invidiam excitare aptum proferrem: Certum enim eſt, tanta detractorum & cavillatorum ſtridula turba ſcatere hanc noſtram Gentem, quod plurimæ modeſtiorum Noſtratium elucubrationes eruditæ, luceq; dignisſimæ, horum metu, intra privatos parietes magno mundi damno adhuc latent.

Licet ego Micam ſolum in publicum literaturæ Ærarium injicere compos ſim; periculum tamen quod ſubeam, hac mea in publicum benevolentia; Oblationem utut tenuem, pluris habendam uti ſpero efficiet: In hoc itaq; magno ſubjecto, quamvis nil magnum attulerim; ſi in magnis voluiſſe ſat eſt, quanto magis ego

ſaltem contumelia liberari, dignus ſiem, qui animo præterea magno intrepidoq; adverſus magna imminentia pericula, in magnis quid voluerim. Accipe igitur Lector humaniſſime *benevolo animo, ea quæ de hoc gravi & arduo* Febrium continuarum *ſubjecto, mihi tandem ſuggeſta fuerunt, dum ſub diutur na praxi, animi nervos ſtrenue intenderim, cogitationeſq; ardenter fixas habuerim; Eademq; fere quæ ante quadriennium lingua noſtra vulgari edideram, niſi quod majori nunc perſpicuitate perſtricta & explicata ſint.*

In quibus non modo novam & a communiter recepta opinione diverſam, verum Febrium ideam & curationem *illi plane contrariam & oppoſitam depinxi: Quorum receptionem eo fore difficiliorem autumo, quod* Medicos *plurimos graviſſimorum errorum certiſſime inſuper arguere videantur: Probus vero & ingenioſus opinione aut praxi nova, dummodo vera ac efficaci non offendetur;* Cavillatorum *quidem ac* irriſorum *& ejuſmodi* pecorum *dentes caninos non curo.*

Non hic aranearum telas *texui, neq;* Febrium ideam, efferveſcentiarum & fermentationum *fumis & fæculentiis turbatam, per* analogiam *mire coactam attuli; nec longe mutuata* ſalis, ſulphuris & Mercurii *combinationes & certamina, in fabulam placidam & amænam concinnavi.*

Verum omnia Syſtemeti *& legibus* Mechanicis *conſentanea, ex* moventi, *ſcilicet,* moto, mediis *ac* fine *conſtantia delineavi.*

Nemo etiam magis dubitet dari in corpore principium motus, *ſeu primum* impellens, *quam in eo etiam* motum *dari dubitaverit; niſi ſimul putet vel a nulla*

cauſa

causa *vel ex* causarum *in corpore* concatenatione *infinita,* motum *illum pendere: Cum vero utrumq; est absurdissimum, neq; dari potest tertium, nisi* primum Impellens, *certitudine ergo* demonstrationis *in corpore illud admittendum est.*

Quæq; hic compaginata, *si non omnimodam* soliditatem ac firmitatem *summam cuncta habeant, decoram saltem* ordinem & *venustatem,* proportionem & symmetriam *ut spero referant.*

Si singulæ igitur hujus ædificii columnæ (*quarum quædam ad sustinendum, aliæ vero ad ornandum positæ*) *non sint adeo* stabiles *ac* firmæ, *spero tamen ædificium non ruiturum, dummodo* columnæ *firmæ ad sustinendum sufficientes huic maneant, sive plures & firmiores illi* bases, *quam hujusmodi ulli* ædificio *adhuc constructo, restent.*

Quantumvis mendosum aut infirmum videatur jam illatum Schema, *id abunde pensari arbitror, ex* praxeos *illi annexæ soliditate & efficacia, quæ spem cauti ac prudentis* Medicantis *vix adhuc fefellit. Plerumq; etiam incantamenti instar,* Febres *suapte natura diuturnas & contumaces absq; etiam* Metastasi *cito terminat & medetur.* Theoriam *insuper delineatam habes, quæ ni fallor si probe capiatur & intelligatur, lucem sane non minimam* Manuductioni; *ac* Regimini *recto, (in casibus præsertim dubiis) istiusmodi utilitatis & efficaciæ* Praxeos *præbeat, ut ea rite administrata, multo certius & evidentius Curari possent* Febres continuæ *quam* Cortice Peruviano *Curari soleant* Intermittentes.

Si demum in hoc arduo subjecto per me Canalem *verioris aliquot* Eruditionis *rivulis, hominum mentes irri-*

gen-

gentur, aut ex me Face *purioris aliquot lucis radii ad intellectum in tanta obſcuritate illuminandum, fulgeant, aut deniq; ſi per me* ramum, *ſolidioris conſolationis fructus aliquot, de hoc calamitoſo* ſubjecto, *in generis humani uſum enaſcatur; Non mihi ſit* Laus, *neq; ſit quod ego* gloriar *(cum* Ego *uti* lutum, *in* manu figuli *fuerim,* Vas *ad* Honorem *aut* Dedecus *formari indifferens) ſed* Patri & Fonti Luminum & Beneficentiæ *omnis ſit* Laus & Gloria *in* Perpetuum. *Amen.*

DE

DE FEBRIBUS CONTINUIS.

Tentamen THEORETICO PRACTICUM.

QUemadmodum *Vita* Hominumq; *Sanitas*, cæteris quibuſlibet, hujus præſertim Mundi bonis, præcellunt; Ita ante reliqua etiam omnia expetenda, ardentiuſq; deſideranda ſunt. Inter omnes pariter artes & ſtudia, (neceſſitatibus quoq; Hominum ſublevandis humani ſcilicet ingenii inventa) ars omnino nulla eſt, quæ præ *Medicina*, *Sanandiq*; *Arte* augeri coliq; exigit. Nullum etiam ea in arte datur *ſubjectum*, majore quam illud *Febrium Continuarum* enucleatione indigens, exactiuſve ſcrutinium depoſcens: Quod clare quidem pateat, modo *Febrium* naturam occultam, indolemq; latentem perpendamus. Sive *earum* latitudinem & extenſionem perluſtremus. *Febres* enim cum ſuis

Appendicibus, ultra dimidiam morborum partem quibus affliguntur Homines indubie complent: Sive *earum* periculoſam ac præcipitantem, qua Hominibus terrori ſunt invaſionem, circumſpectam habeamus. *Illæ* enim ſunt *Calamitates*, quæ *Eruptione ſubita*, ac *Conflagratione* tremenda, *Spem* ſimul noſtram & *Conſolationem* plerumq; intercipiunt & præripiunt. *Quæq;* propinquorum *Obitum*, & amicorum *Caſum* uti magis horrendum, ita ægrius ferendum, ac triſtiorem multo efficiunt. *Diuturnis* illæ etiam ac *Chronicis languoribus*, veluti invidentes; & *ſenectutem rugoſam* intempeſtive intercipientes; vires ſubito proſternendo, de formæ *Venuſtate*, ipſoq; Juventutis *Robore* celeriter ardoribus *ſuis* everſo, triumphant: *Incendio* etenim feroci, *ſtrageq;* miſeranda, ſæviter rabientes, diriſſimis ſuis effectis, tum *Hominum animabus*, tum *fortunæ bonis*, longe plura damna, quam morbi chronici afferunt: *Mortales* quippe ex ſecuritatis *Amplexibus*, *Gremioq;* ſanitatis apparentis, hiſce *Flammis* inopinato prærepti: Per vallem miſerandi *Dilirii*, *ſtruporiſve tremendæ*, vel *Phreneſios rabidæ*, in umbrarum regionem confeſtim præcipitantur. *Vita* ſic *Procella* veluti *Furibunda*, aut *Fulmine Tremendo* ſubito conſtrata, miſerandæ quidem *Ruinæ* effecta diriſſima cuncta habet; cum diſſolutio interim *Lenta*, opportunitatem præbeat præparationi, ac pacificationi, cum prægrandi illo *Monarcha*, cujus *Nuncius*

ac

ac *Præco* Mors eſt; fœliciq; imo ac honorificæ *Deditioni*, occaſionem omnino opportunam dat.

II. Cumq; hæc inſuper omnia, ſub *Medici* ipſius *Præſidio* ac *Regimine* plerumq; tranſigantur: Ubi illius etiam auxilii inanis ſucceſſus, infœlix infauſtuſq; ut plurimum ſit: *Medicis*-ne igitur cordatis ac fidelibus incumbit, ardentius perquirere, hiſce num calamitatibus errores ſui, ſive in *agendo*, ſive *omittendo*, quantulumcunq; contribuant? De quo quidem nequit eſſe certus *Medicus* quamdiu harum *Febrium* indolem latentem prorſus ignorat.

III. Hæc, ut opinor, conſideratio a probo ingenioſoq; *Medico* ſerio penſitata, ad accuratiorem indolis harum *Febrium* inveſtigationem eum indubie impellet, ut *Remedia* nimirum certiora & fœliciora tandem depromat.

IV. Hiſce *Ego* rationibus percitus, poſt longam rei trutinationem, ſubjectiq; *Revolutionem* diuturnam, meam nunc de *Febribus* opinionem editurus. Non eſt quod *aliorum* ſententiis evertendis immorer: Cum omnium *Opiniones* præterquam illa *Bontekoi* (quæ cum noſtra quodam modo coincidit) ex noſtræ ſententiæ ſtabilimento, pari quidem paſſu corruerint.

V. Neq; in *Febrium ſpeciebus* ac *differentiis* enucleandis eſt quod hæream, Cum *Febres* omnes *continuæ*, gradu tantummodo differre mihi videntur: Cui etiam Sententiæ non parum ſuffragari

videtur ipſe *Clariſſimus Sydenhamius* cum dicit Pag. 68. *Sched. Monit. Cujus de malignitate (ſive nomen ſive notionem dixeris) opinionis inventio, humano generi longe ipſa Pulveris Pyrii lethalior fuit.*

VI. *Febres* licet *Continuas* gradu ſolum inter ſe differre, *Ego* opinor: *Symptomatum* tamen magna varietas eas omnino comitatur: Quorum *Ætiologia* in ſequentibus enucleanda, *Febrium identitatem* hanc *Specificam*, clarius forſan evincet.

VII. Quamvis *Febris Signum Pathognomonicum*, quod competat omni, habeat nullum: *Signum* tamen *Pathognomonicum* habet quod competat ſoli: Eſtq; illud *Pulſus frequens*: Ubi vero illud *Signum* deeſt, *Febris* tamen preſentia evincitur ex *Syndrome* ſive *Concurſu* cauſarum *Procatarticarum* prægreſſarum, & *Antecedentium* cauſarum quæ *Febrem* generare ſolent: Sive ex Concurſu *Concomitantium Symptomatum* & *Phænomenon* naturalium, quæ ex *Febrili* diſpoſitione, veluti radii, effluere ſolent.

VIII. Sicuti etiam horum præſentia & concurſus, *Febrem* adeſſe indicant: Ita certum quoq; eſt, *Eſſentiam* ſive *Cauſam Febris continentem*, latere inter *Cauſas* illas *Procatarticas* & *Antecedentes*, ex una parte, & *Phænomena* ex illa eſſentia irradiantia, ex altera: *Earum* igitur eventilatio; *Cauſarum* nempe *Procatarticarum*, & *Antecedentium*: *Concomitantium* ac *Symptomatum* ſeu *Phænomenon naturalium*; Enucleatio quoq; *Phænomenon Practicorum*; *Juvantium* nem-

nempe & *Lædentium*, lumen forsan aliquod obscuro huic & caliginoso subjecto, tandem adferet.

IX. Quibus ergo singulis, serio mecum & diu pensitatis; Opinor, *Febrium Naturam*, sive *Essentiam* proprie consistere in *Difficili* ac *Tardo*, *Sanguinis* & *Humorum* per totum corpus *Circuitu*; *Eoque*, sive ex *Sanguinis* & *Humorum crassitie*, vel ex *Canalium Obstructione*, & *Coangustatione*, vel ex *utraq;* pendente; Quædam quoq; habente *Phænomena* immediate tardiorem hunc nimirum circuitum sequentia; uti *Sitis*, *Inapetentia* & reliquarum *Functionum* prostratio aut labefactatio; Quatenus debito Nutrimento & Refocillatione Functiones privantur: Alia vero habente *Phænomena* mediate pendentia, mediante, scilicet, *primi* in corpore *Impellentis* conamine ac impetu frustraneo, *Circuitum* redintegrare molientis: Quæq; excitantur ex *Impressionibus* ab immediatis effectis in *Impellens* factis: Uti *Calores*, *Rigores*, *Anxietates*, *Dolores*, *Pulsus frequentia*, & reliqui quilibet *Orgasmi*.

X. Ad explicandum hanc *Febrium Ideam*, illiusque *Cardinem*, difficilem, scilicet, *Tardumq; Sanguinis* & *Humorum Circuitum*; *Febrium* causæ *Procatarticæ* & *Externæ*, quatenus ordine *Naturæ* primæ, ita in campum primum sunt deducendæ & eventilandæ: Ut videamus quatenus nostræ *Hypothesi* enucleatæ faveant.

XI. *Cau-*

XI. *Cauſæ* igitur illæ *Externæ* ſunt, *Errores* circa *Sex res non naturales* (vulgo nuncupatas) *Aerem* nempe *Alimentum*, *Somnum* & *Vigilias*, *Motum* & *Quietem*, *Excreta* & *Retenta*, & *Animi Pathemata*: Quarum *Errores* omnium conſenſu *Febres* generare ſolent: Notum quoq; eſt, hos *Errores* generare, ac pedetentim accumulare *Cruditates* & *Viſcoſitates*; quæ in *Antecedentem* ceu *Potentialem* alicujus morbi cauſam reponuntur. Hæcq; *Cauſa Antecedens*, nunc *Gradatim*; nunc vero ex ſubito aliquo graviq; Errore, huic aut illi morbo favente, *Raptim*; in morbi *Cauſam Continentem*, id eſt, in illius *Eſſentiam*, formatur: Atq; ita plerumq; etiam *Febris* producitur.

XII. Inter omnes *Errores* circa has res non *Naturales*, ſicut *Perſpirationis* læſio videtur aliis longe frequentior; ita etiam manifeſtior *Febrium* quoq; *Cauſa* videtur eſſe. Sed ut intelligamus quomodo id fiat, *Perſpirationis Natura* ac *Ordo*, neceſſario eſt prius indaganda; quiq; dein ſint effectus *Perſpirationis* ſuppreſſionem apti nati immediate conſequi; & quatenus demum *Tardo* huic & *Difficili*, *Sanguinis* & *Humorum circuitui* hi effectus conferant.

XIII. Cum igitur ut dictum, *Errores* circa *Has res fomitem morbificum* neceſſario accumulant: Cumque *Hominis* ſimul *Vita* miſera ſane & infirma, variis implicata ſit anguſtiis, quibus modum ac menſuram tranſgredi cogitur, circa *Harum* ideoq; *Rerum*

rum usum, in defectum aut excessum plerumq; rapitur, unde *Vitam* profecto miseriis refertam Homo duceret; nisi *Architectus* ille *Benignus* ac *Misericors*; tum *Providentiam* summam ac *Artem*; tum *Misericordiam* & *Beneficentiam* immensam demonstrando: Hæc nostra condidisset corpora, *Excretoriorum Canalium* multiplicitate maxime Commoda & Communita: Ad *Colluviem* ex *harum rerum abusu* accumulatam secure eliminandam: Unde Incommoda exinde nascentia facile curarentur: Idq; non solum per *Intestina* & *Vesicam* obvia hæc & patentia *Excretoria*: Sed alio quidem occulto & obscuro modo, non minus tamen menti & rationi certo: *Perspiratione*, scilicet, *Insensibili*, per *Cutis Poros* transeunte: Quæ in tantam *Molem* exurgit, ut reliqua *Sensibilia excreta* duplo-plus superet: Videturq; *Tertiæ* & *ultimæ Concoctionis* recrementum.

XIV. Mirabile quoq; hoc *Naturæ* opus, & *Creatoris* exinde *Sapientia* & *Bonitas* erga Homines, tam certa & evidens non facta esset: Atq; ita *Hominum* ignorantia, eorum gratitudinem & admirationem prorsus excluisset & intercepisset: Nisi *Ingeniosissimus Sanctorius a Sanctorio, Patavinus* ille quondam *Professor*, divino afflatu, solide demonstrasset realitatem, necessitatem & mensuram hujus *Perspirationis Insensibilis*: Qui etiam *Canones* & *Regulas* ad illius moderationem luculenter tradidit. Et licet e-

lapsi

lapsi sint quadraginta anni, ex quo *Sanctorius* scripsit, tam ignavi & socordes fuere tamen *Mortales*, & sui & suorum obliti; ut non solum non auxerint, & excoluerint hanc illius *Doctrinam*, ad *Medicinam*, ut opinor, plus omnibus aliis mediis *Preservativis* & *Curativis* conferentem: Verum etiam (quantum novi) neglexerint, ex illius celeberrimo & fructuoso *Invento* beneficium ullum aut fructum captare: Præterquam modicum illud quod *Bellinus* atq; *Etmullerus* in suis operibus de eo observarunt.

XV. Accuratissimus porro ille *Sanctorius*, hanc suam *Doctrinam*, *Lance* & sensibus, Triginta supra annorum experientia probatam, nobis tradit.

XVI. Cuivis jam rem serio pensitanti obvium erit, hanc copiosam, verum subtilem ac insensilem *Evacuationem*, Quæ sensum & observationem nostram plerumq; effugit, sæpissime ideoq; vitiari & supprimi: Unde certum est morbificam fomitem copiosam, exinde accumulari: Quæ in morbi *Causam Continentem*, sive *Immediatam* facile exaltetur. Sagacissimus igitur ille *Author*, ex *Statica Experientia* observat, *Morborum* adventum & imminentiam, certius & tempestivius ex *Perspirationis* observatione, quam ex actionum læsionibus prævideri. *Aphoris.* 42. *§* 1.

XVII. Ad clarius jam illustrandum, qui *Perspiratio Læsa* sit causa difficilis hujus *Sanguinis* & *Humorum* motus, quem *Febrium* causam *Continentem*

facimus, Obſervandum primum eſt, Quibus veſtigiis *Perſpiratio* hæc incedat: Quæq; ſimul ſint requiſita *ad eam feliciter* perficiendam: Notandum dein, quæ *eam* lædant: Ut exinde capiamus quem *effectum* immediatum *Perſpirationis* ſuppreſſio ſortiatur: Atq; ſic ex latebris ſuis conditam hanc *Febrium cauſam continentem* depromere tentemus.

XVIII. Quod primum attinet, Quo, ſcilicet, Pede, *Perſpiratio inſenſilis* progrediatur. Reſpondeo, probabile eſſe, *Perſpirationem* in hunc modum perfici, cum, nimirum, *Aer* in *pulmonum* diſtenſorum cavitatem inſpiratione detruditur; certum eſt, *Pulmonum veſiculas* in extremis *Bronchiorum ramis* conſitas, hoc *Aere* quoq; impleri. Atq; etiam certum eſt, hunc *Aerem* in *veſiculis* contentum *pulmonum* calore inſuper plurimum rarefieri: Cumq; harum *veſicularum* ſtructura ſit, ex cavitate ampla, cum ſtricto orificio, manifeſtum quoq; eſt, in exſpiratione & *Pulmonum* contractione, *veſicularum* orificia non ſolum contrahi & claudi; ſed neceſſe præterea eſt, *Aerem* intra has veſiculas valde etiam comprimi: *Cujus* quidem *compreſſione*, ejuſq; inſuper *rarefactione*, probabile eſt, hunc *Aerem* incluſum, viam ſibi aperire per harum *veſicularum poros*, in *ramos capillares vaſorum Pulmonalium*, ubiq; circa has veſiculas diſſeminatos.

XIX. Atq; hoc nemini dubium ſit, quippe nullus hic pateat ſenſibus aditus, ex *Bronchiorum veſiculis* in hæc *vaſa pulmonalia*, cum omnibus notum ſit, pariles dari *meatus conditi* in *Inteſtinis* ad *vaſa*

lactea; per quos transcolatur *Chilus*: Ubi simul c tum est, simili quoq; *Intestinorum* compressione, c *Abdominis*, nempe, & *Diaphragmatis* motu recipro co, *Chilum* per *ductus* cæcos, ad *vasa lactea* propel li: Quo etiam motu per *ductum Thoracicum* in *san guinem* usq; premitur: Cui etiam sententiæ de tran situ *Aeris* per *Pulmones*. suffragatur *Experimentum Suammerdamii* a *Sylvio* Disputatione VII. Thes. 86. memoratum hisce verbis: *Aliud insuper observavit ac mihi demonstravit eadem occasione* Suammerda mius, *lente diuq; in pulmones adhuc calentes pressum, ex dicto ventriculo* Aerem *transire tandem in* Arteriam, Venamq; Pulmonalem *hinc & in utrumq; cordis ventriculum: Unde arguitur*, Asperæ Arteriæ *cum dictis vasis communio, tum ad inspirati* Aeris *partem in vasa admittendam; tum vicissim ad halitus ex vasis cum* Ae re *expirato emittendos.*

XX. Hic itaq; *Aer* in vasa *Pulmonalia* irreptus, *Pulmonum* reciproca expansione & contractione, non solum cum *Sanguine* versus majores *vasorum* truncos pellitur, (cui motui *vasorum* structura maxime con fert, facilis enim fit motus, ex cavitate angusta in ampliorem) Verum etiam in hoc itinere, agitatio ne continua, ita intime commiscetur cum *Sanguine Aer*, ut perfectionem ac complementum totum hoc modo *Sanguis* adipiscatur: Uti apparet ex sanguine in vena *pulmonali* ad Cor rediunte: Qui colore flo rido, consistentiaq; spumosa, a *Sanguine* arterioso nil differt. *Aeris* præterea intima cum Sanguine *ar terioso* commistio, pateat per *Experimentum* illud *Majoi*, pag. 144. *Qui Sanguinem venosum* in *Antlia*

pneu-

...umatica immittens, *Aerem* Exantlantlando, par-
...m solumodo invenit *Sanguinis ebullitionem:* Sed
Sanguinem arterialem immittendo, exhausto *Aere*,
magnam *Sanguinis* expansionem ac ebullitionem vi-
dit. Quod quidem ratione copiosi Aeris in *Sanguine
arterioso* contenti, accidit: Qui nimirum pro ratio-
ne minutæ vis elasticæ ambientis *Aeris*, se expan-
dens, *Sanguinem* in quo inviscatur, etiam dilatavit.
Aeris insuper ingressus, & cum *Sanguine* mixtura, ex
eo quoq; patet, quod corporis superficies & extrema,
motu vehementi tumescere solent: Tum enim *Respi-
ratio* vehementior, ac frequentior est; unde major
Aeris quantitas in *Pulmones* fertur, cujus magna por-
tio ad partes carnosas delata, eas tumefacit & in-
flat: Quæ etiam *Aeris* copia, generandis spiritibus
materiam supplet; ad motum in vehementi corpo-
ris motu continuandum; veluti observatur a *Majoo*
Pag. 307. "*Unde jumentis musculos fere omnes per in-
"tegrum diem exercentibus, materiæ explosivæ penus,
"pro tanto labore sufficiens, derivatur; cui nempe sup-
"plendo, tota Sanguinis massa, non valet, eidem suppe-
"ditando* Aer, *fons ille liberior abunde sufficit.*

XXI. Ex prædicta etiam *Hypothesi*, ingressus, *Ae-
ris* in corpus solvitur clare illud *Phænomenon*, cur ex
applicatione *Cucurbitalarum* caro elevetur: *Aer* quip-
pe intra corporis partem cui *Cucurbitula* applicatur
expanditur, & dilatatur; ob *Aeris* intra *Cucurbitu-
lam* rarefacti resistentiam minorem: Atq; ita car-
nem secum attollit & dilatat: *Aeris* demum aptitu-
do ad *Perspirationem* promovendam, ex eo clare e-
vincitur; quod *particulæ perspirabiles*, *Aeris* parti-

culis implicatæ, maxime rarefiunt & volatilſantur: *Aeriſq;* inſuper activitate facilius protruduntur ac eliminantur; Veluti obſervat *Helmontius Tract. Blaſ. Human.* " *Solus calor ad Sanguinis recrementa* " *eliminandum non ſufficit.* Atq; uti ſimiliter obſervat *Boylleus, in origine formarum.* " *Aqua limpida centies* " *rediſtillata, poſt ſe relinquit recrementum aliquod ſeu* " *caput mortuum, ignis operationem eludens.* Ad propellendum itaq; *perſpirabile* illud, præter corporis noſtri calorem, aliud quid *Volatiliſans* & activitate præditum requiritur, qualis eſt *Aer.* Nam ut *Helmontius* & *Tachenius* obſervant, Lignum in *Aere* libero putreſcens, nihil aut parum ſalis fixi præbet: Herbæ etiam aridæ, hoc ſale minus abundant, quam vireſcentes: Ex eo quod *Aer* ſit *ſalis fixi* menſtruum, ad eum extrahendum idoneum. Probabile etiam eſt, *Aerem*, omnem in corpore noſtro *ſalem* noxium, diſſolvere & abſorbere.

XXII. Ex dictis facile recolligere eſt, *Perſpirationem inſenſilem* nihil aliud eſſe, quam *Noxia Salina* & *Coagulantia* ultimæ *Concoctionis Recrementa*, ab *Aeris particulis* abſorpta, & cum iis per Poros evolantia.

XXIII. Jam ſequuntur ea, quæ ad *Perſpirationem* debite perficiendam requiruntur: Quorum uno vel pluribus deficientibus, ſequitur plerumq; *læſa perſpiratio.* Ad *Perſpirationem* igitur fœliciter perficiendam, (præter *Reſpirationis motum*, *Pulmonumq;* *Craſin* integram, atq; *Cordis* & *Arteriarum* motum vegetum, quæ ſunt inſtrumenta) requiritur primo *Aeris* aptitudo, illius ſcilicet *Tenuitas* & *Puritas* debita. 2*dò.* Materiæ perſpirabilis apitudo.

XXIV. Quod

XXIV. Quod *Aeris* tenuitatem aut rarefactionem attinet, certum est *Aerem* nimium attenuatum uti post exantlationem in *Antlia pneumatica* reperitur, Animalis vitæ nequaquam inservire, & non solum *Perspirationi* ineptum, sed æq; etiam cito in eo Animal mori, ac si laqueo strangularetur; hujus quoq; *Phænomeni* hæc videtur esse Causa, quod *Aer* nimium rarefactus inspiratus, ulterius rarefieri nequit, in quantum perficiendis *Oeconomiæ* functionibus debetur: *Elater* enim *Aeris* nimium rarefacti ita debilitatur, ut *vesicularum* Poros penetrando non sufficiat: Atq; ita *Sanguis arteriosus*, *Aereis* particulis *Elasticis* & *Volatilisantibus* destitutus, statim subsidit; *Sanguinisq: venosi* particulis *Aeriis* spoliati, genium solumodo ac naturam refert: Unde sequitur Animal ex inspiratione *Aeris* non satis densi & opimi, quadam veluti fame confici: Atq; id non minus certo, multo vero citius, quam si vento pro cibo pasceretur.

XXV. Quod *Aeris* puritatem spectat, certum est in *Aere* puro & sereno degentes melius *perspirare*: *Aer* quippe fuliginosus aliisq; particulis jam satur, particulas *perspirabiles* ita facile absorbere nequit, ac *Aer purus* & *jejunus*. Hac quoq; de causa *Aer nebulosus*, *paludosus*, imo & *nocturnus* non tam noxam corpori infert, ut ambiens, atq; ita Poros afficere, aut obturare aptus: quam uti inspiratus *Perspirationis progressui* ineptus. Certum pariter est, hæc omnia effecta quæ *frigori* susceptio vulgo attribuuntur, non tam ex *ambientis*

Exer-

Energia pendere, quam ex inspirati *Aeris inepritudine*; aut saltem ex utriusq; complicatione, oriri.

XXVI. *Aeris puritati* vicinum est illius quoq; frigus, quod *Perspirationi* inservire creditur, ex eo, quod *Aer frigidus* sit plerumq; etiam densus & purus; Maximæ igitur ut *Rarefactionis* capax; ita *Sanguinem* & *Humores exagitare valens*; eos valde ideo volatisat *Perspirationiq*; maxime præparat: Talis etiam *Aer* ut ambiens *Perspirationi* in corporibus robustis quoq; favet: Quatenus *Pororum* nempe ac *Fibrarum tonum* reborat ac firmat: Secundum *Sanctorium* in *Medicina Statica*. § 2. Aphoris. 7.

XXVII. Procul etiam dubio est quod *Caloris* & *Frigoris* vicissitudines, *Perspirationi* magis inserviunt, quam alterutra qualitas semper durans: *Noctium* itaq; & *Dierum*, *Anniq*; tempestatum *successiones*: *Locorum* pariter & *Climatum* mutationes: Imo & *Animi affectuum alterationes*, uti existimat quoq; *Sanctorius*, *Perspirationi* eliminandæ optime subserviunt: Tum itaq; ad sanitatem conservandam, tum ad morbos depellendos, ea omnia respective efficacia sunt: Reciprocationes enim alternæ rarefactionis & condensationis *Aeris* ambientis, semper comitantur has *Vicissitudines*, (excepta illa animi *Pathematum*) unde *Aer* cum *Sanguine* & *Humoribus* intimius permistus, vicissim dilatatur & constringitur: Qui eadem opera, succos & humores malacissando & subigendo, viscidos & tenaces humores mire attenuare & volatilisare solet.

XXVIII. Ex *Aeris* etiam vitiati fonte, *morborum Epidemicorum* longe lateq; grassantium causa, omnino

hino deducenda est: Hi enim *Morbi* causam æq; latam & communem ac ipsi sunt, necessario agnoscant: Qualis est solummodo *Aer*, omnium corpora, scilicet, intime pervadens: Qui in *Epidemica constitutione* particulis *coagulantibus*, aut ad *Perspirationem* debite perficiendam omnino ineptis scatens; *Crassitiei* & *Viscositatis* gradum *Sanguini* & *Humoribus inducit*: Læviſſimus enim *Viscositatis* gradus sanguinis motus traditatem inducere valet. A *Cardano* præterea observatur; Homines *coagulantis* cujusdam *Aeris* afflatu, in rigidas statuas commutatos fuisse: In subterraneis etiam *Cavernis*, *Aer* quandoq; ita *malignus* & *deleterius* erumpit, ut confestim Homines enecet. Atq; nihil aliud *Pestis* videtur esse, quam *Coagulationis* intensior gradus, ab *Aere pestilenti* inspiratione *Sanguini* inductus: Unde veluti a *Febre* summi gradus, *Sanguinis circuitus* subito perimitur, ac *Oeconomia* in totum sternitur.

XXIX. Requisitum secundum ad *Perspirationem* fœliciter perficiendam, videtur *Materiæ perspirabilis* aptitudo; illius, scilicet, debita *Tenuitas* & *Sequacitas*: Quæ quidem conditio, partim ex integritate *Organorum* & *Functionum* ad concoctionem requisitorum, pendere videtur, partim vero ex *Alimentorum* assumptorum *qualitate* & *quantitate*; quorum *Errores* mediante *Perspirationis* læsione, *Febres* producere solent: De quibus consulendus est ipse *Sanctorius* in *Aphorismis Staticis*, § 3, 28, &c. Ubi asserit, læsam *Perspirationem*, ineptam *Ventriculi concoctionem*, plerumq; sequi.

XXX. Ter-

XXX. Tertia atq; ultima ad *Perſpirationem* co[n]ditio, videtur, *Pororum cutis* apertura, *Fibrarum* robur & *firmitas* debita: Ea itaq; omnia quæ *Poros* occludunt, aut firmitatem Fibrarumq; *tonum* enervant, *Perſpirationem* etiam lædunt; ſecundum *Sanctorium* §2. & alibi, uti hæc etiam, mediante *Perſpirationis læſione*, *Febres* generare ſolent.

XXXI. Sed obſervandum eſt, eas cauſas quæ *Perſpirationem* lædunt, ſingulas & ſeorſum, effectum rarius producere; *Complicatas* vero & *Conjunctas*, *Perſpirationem* certius ſupprimere: Atq; ex eo fit, quod una eademq; cauſa, *Perſpirationem* vel adjuvare, vel lædere poſſit; prout aliis complicata, aut conjuncta eſt: De quo conſule *Sanctorium* in *Medicina Statica*.

XXXII. Notandum porro eſt, quod ſicuti omnes hæ *cauſæ Perſpirationem* lædentes, *Febres* quoq; producere valeant; ita ad hunc modum *Febres* fieri opinor. Probabile quidem eſt, *Materiam* hanc *Perſpirationis* retentam, circa vaſorum Capillarium fines accumulari, ſive inter *Arterias* & *Venas* ſtagnari & condenſari; quæ materia perſpirabilis condenſata, ſi non ſudore extrudatur, uti quandoq; ſolet, tum tanquam Excrementitia, Spiritibuſq; imbui, ac corporiaſ. ſimilari inepta, in *Viſcoſitatem*, quandamq; tanquam *Purulentiam* degenerat. Cumq; hæc materia, inter *Fibras* in confinio venarum ſita ſit, *mole* ſua & *acredine*, *Fibras* irritat ac rodit: Quæ eam in *Venas* conſtringunt, & *Sanguini* refluenti deniq; immiſcetur. Ubi non ſolum *Sanguinis ſerum viſcoſitate* inficit: Verum illius etiam *Particulas* ſive *Globulos* vitiat: Eorum nempe

mag-

magnitudinem, sive augendo, sive *figuram* eorum *sphæricam*, aut *angulis*, aut *scabritie* deformando. Certissimum enim est, ex innumeris *globulis*, in *sero tenui* & *limpido* natantibus, *Sanguinem* naturaliter constari: Ut per *Microscopium* observatur a *Lœwenhoekio*: Maxime etiam probabile est, hos *globulos* ex sua natura debere esse hujusce *molis*, *numeri* & *figuræ*: Atq; etiam *serum* hujusce esse *quantitatis* & *tenuitatis*, quæ motum *Sanguinis* per *Canaliculos* angustos, inter *Arterias* & *Venas*, maxime facilitare valeat: Cui motui *Globulorum figura sphærica*, ac *superficies polita*, maxime quidem commoda est.

XXXIII. Cum igitur uti dictum, *Materia perspirabilis* retenta, tum serum viscositate, tum *Globulos scabritie*, aut aliter in *figura* aut *mole* vitiare possit; Ita demum certissimum est, hæc *Globulorum*, sive *Seri* vitia, *Sanguinis circuitum* inter *Arterias* & *Venas*, *tardiorem* & *difficiliorem* omnimodo efficere.

XXXIV. Quodq; hæc *Seri*, *Globulorumq*; *Sanguinis* vitia, non gratis asserantur, patet ex observatione *Sanguinis* febricitantium per *Microscopium*: *Sanguinis* enim *Globuli* tum *magnitudine* tum *numero* clare quandoq; apparent vitiati; cum *majores*, scilicet, aut *plures* debito, *i. e.* quam in sanis solent esse, cernuntur; tum *scabritie*, cum plures *conglomerati*, scilicet, cohærentes apparent. Sparsim enim in *sero* vagare debent, & *seri viscositas*, quandoq; nudis oculis, imo & tactu cerni possit.

XXXV. Et quamvis singula hæc *Sanguinis* vitia, seorsim illius *circuitus difficultatem* quodammodo efficiant: Complicatio tamen, horumq; *vitiorum* in-

geminatio, *Sanguinis tarditatem*, mali quoq; contumaciam mire augent.

XXXVI. Quodq; *Febris proſapia* in hunc modum fiat, veriſimilius videtur, cum *Sanctorii* quippe ſententia probe conveniat; qui in 1*ma. Sect. Med. Stat.* aſſerit, *perſpirabile* retentum nec Natura nec Febre ſuperveniente eliminatum, ſtatim in *malignam* tranſire *Febrem*: *Febrem* intellige ex *Obſtructionibus* contumacioribus pendentem. In *Aphoriſmate* etiam ſequente dicit, in *Febribus* in pejus ruitur, ſi præpoſtera medicamentorem applicatione *Perſpiratio* impediatur.

XXXVII. Ex *Perſpiratione* igitur ſolum retenta primus *Febris* gradus ſive levior illius *Scæna* pendere videtur: Quæ periculo plerumq; vacat, niſi *Medicantium* officioſitate præpoſtera & temeraria urgeatur: Aut niſi in corpore, ſuccis copioſis & *crudis*, in *primis* viis referto, accidat: Hæc enim humorum colluvies, mali fomes plerumq; fit: Ea quidem in *maſſam Sanguinis* continuo tranſlata, *Morbi* tum *Contumaciam* tum *Periculum* auget.

XXXVIII. Cruda inſuper hæc *Materies* nihil aliud eſt, quam *Craſſa*, imperfectæ & perfunctoriæ *Digeſtionis Ventriculi*, aliorumq; viſcerum, *recrementa viſcoſa*.

XXXIX. Inquiſitio igitur in modum ac methodum *Digeſtionis* perfectæ, nobis certo indigitabit, in quo *Digeſtio imperfecta* vere conſiſtat; quiſve ſit *Humorum* male ac inepte digeſtorum ſtatus: Et qui prædicto *Sanguinis motui difficili* ſeu *tardo*, prædicti *Humores* & *Recrementa* conferant.

XL. Hanc

XL. Illam igitur prætereundo ſententiam, quæ in *fermentatione Ventriculi digeſtionem* ponit (hac digeſtione fœlicius ſemper peracta, abſq; *eventilatione* & *quiete*, abſolute ad *fermentationem* requiſitis:) magis quidem *Naturæ* & *Rationi* conſentaneum opinor, hanc *Ventriculi* actionem *Mechanice* explicari, eamq; in *attenuatione* quadam alimentorum, & in *Chilum tritura* conſiſtere: In hunc ſcilicet modum: Primo enim certum eſt, *Ventriculum* contentum amplectendo *Alimentum*, arctius in illud corrugari, & contrahi: Dein æq; certum eſt *Alimentum* inibi, *motu* reciproco & continuo, revolvi & agitari: *Motu* ſcilicet *Diaphragmatis* illud deprimente, & *Abdominis* illud viciſſim reprimente: Qui *motus* talem in *Alimentum* effectum maturantem & malaciſſantem ſortiri videntur, qualem in *prunum*, aut ſimilem aliquem fructum motus ſive manus revolutio producere ſolet: Atq; ita *Alimenti* partes *mutua attritione* in *Chilum* maturantur & malaciſſantur.

XLI. Quantum huic inſuper operationi conferat, in *Alimentum* ſtricta *Ventriculi contractio*, patet ex conſideratione experimenti Vaſis *digeſtorii Papiniani*, in quo oſſa in pulpam liquantur & attenuantur; ldq; nullo alio artificio, quam *Vaſe* digeſtorio ita fabricato, ut undiq; liquorem contentum, dum concoquitur arcte amplectatur: Hac enim ſtricta contenti liquoris coarctatione, *particulæ* illæ ſumme agiles, quæq; in vulgari coctione in auras erumpere ſolent, inviſcantur & incarcerantur: Motuq; quaquaverſum ferociter agitatæ, in *materiam* ſoli-

dam & reſiſtentem impingentes, eam ita atterunt, ut oſſa in gelatinam exinde convertantur.

XLII. Ex quo *Experimento* non modo patet, quantum huic *Ventriculi* actioni promovendæ illius contractio conferat; Verum etiam quantum *digeſtioni* quoq; contribuat, quorundam *liquorum*, ſpiritibus impregnatorum ex *Ventriculi* glandulis infuſio: Quæ tum ad *Alimenti* macerationem, cum ad illius attritionem conducunt. Hiſce etenim liquoribus non ſolum maceratur *Alimentum*, & attritioni præparatur; Verum a *Spiritibus* inibi etiam contentis, ac in *Ventriculo* arcte amplexis & incluſis, indubie æque perficitur inteſtinus ille *Alimentorum motus*, ea atterens & digerens, ac ab iiſdem ſpiritibus, ſtupendi illi Muſculorum *motus*, ab eorum elaſticitate provenientes.

XLIII. Unde clare pateat qui fit, ut ii, qui intenſo officiuntur mœrore, aut ſimili paſſione immodica, ex quo *Spiritus* vel non generantur, vel alio divertuntur, inepte prorſus digerant, & gravitatem circa *Ventriculum* patiantur: *Ægri* etiam *Apoplectici* duplo-plus *Alimenti* comedunt, & digerunt, quam cum ſani: Hac maxime de cauſa, *Spirituum* quippe *Animalium* influxus in reliquum corpus & membra impeditus, in *Par vagum*, *Nervoſq*; *Intercoſtales*, in *Ventriculum* & *Inteſtina* terminantes liberius fertur, Quorum viſcerum incolumitati diutius *Natura* incumbit: Hæc itaq; *viſcera*, *ſpiritibus* uberius irrigata, munere ſuo vegetius perfungunt: De quo vide *Brunerum de uſu pancreatis & lymphæ.*

XLIV. Huic

XLIV. Huic quoq; *Digeſtioni* non parum confert, ut opinor, *Alimentorum* etiam in ore, *commaſticatio* eorumq; cum *Aere* & *Saliva* commixtio: Quæ quidem *Concoctionis* rudimentum, & *Rarefactionis* initium *Alimentis* indubie ſunt: Qua de cauſa *veſica Aeria* quæ in *Piſcibus* ſemper eſt turgida, *Canalem* in *Ventriculum* terminantem habet; ut obſervatur a *Nidenhamio*.

XLV. Ex jam dictis clare conſtet, has *Eructationes* quæ in *Apepſia* & inepta *Ventriculi digeſtione* ſæpe contingunt, ſecundum dictam *Hypotheſin* commode explicari; *Particulæ* quippe hæ ſumme *agiles* & *volatiles*, quæq; *Ventriculo* incarceratæ & *Alimentis* inviſcatæ, motu quaquaverſum, *Alimentum* attenuare, & comminuere debent, *Particulæ* hæ inquam, *activæ*, ob *Ventriculi* laxitatem, ex *Alimentorum maſſa* erumpunt: Quantulacunq; enim vacuitas inter *Ventriculi* tunicam & *Alimenta*, hiſce particulis activis ex *Alimento* evolantibus, cito quidem receptaculum fit: Quæ quidem particulæ ab *Alimentis* eviſcatæ, & liberæ, *elaſticitate* ſua *Ventriculum* diſtendentes, & irritantes, perq; *Æſophagum* viam ſibi aperientes, in auras evolant. Quod obſervatur a *Sanctorio* in *Med. Stat.* § 3. ubi ait, quod cibi quantitas minor ſolito, nec *digeritur*, nec *perſpirat*; quia *Stomachus* minus ſolito ad amplectendum undiq; *Alimentum* contrahitur.

XLVI. Hac digreſſione facta, ad perfectæ *Digeſtionis* modum commonſtrandum: Inde plane ſequitur; *Indigeſtionem*, partes *Alimenti* craſſas immaturas ſive viſcoſas relinquere: Unde in *primis viis* humo-

morum congeries accumulatur, *Morbi* alicujus apta nata *fomes* fieri, præſertim *Febris*; quantacunque vero *cruditatum* harum portio, in *Sanguinem* tranſlata, cum vegetum & integrum agit *circuitum*, illius quidem *motui*, parum noxæ inferat. Illæ quoniam crudæ *particulæ*, vivido *Sanguinis motu* plerumq; ſubjugantur, & attenuantur, perq; *inſenſibilem Perſpirationem* eliminantur. In prædicto tamen caſu, ubi præfatam *difficilioris* circuitus *Sanguis* agit *ſcænam*, *Particulæ* illæ *craſſæ* & *viſcoſæ*, in *Sanguinem* tranſlatæ, ac *Seri viſciditatem* augentes, *Globorumq; Sanguinis* molem ac figuram vitiantes, in *capillaribus Venis obſtructiones*, itaq; & *Obices Sanguinis* motui contumaciores certe ponent: *Cruditatibus*, ſcilicet, per *Venas lacteas* aſcendentibus, ex una parte, & *perſpirabili* retento ex altera; utroq; *Sanguinis circuitum* impediente, (quorum a tergo ſequuntur pleraq; illa *Phænomena* ex *primi impellentis* lucta ad motum redintegrandum oriunda) naſcitur *Febris*, eaq; ſummi quoq; gradus.

XLVII. Quod reliquas *cauſas Febrium procatarticas* attinet, probabile etiam eſt, *eas* hanc *Sanguinis viſcoſitatem* & *craſſitiem Febrium* cauſam *continentem*, immediate quoq; inferre: Uti in vehementi *Corporis* atq; *Animi motu*, ubi tenues & aqueæ *Sanguinis* & *Humorum particulæ*, copioſius exhalantur; *Sanguis* exinde *craſſior* neceſſario relinquitur, motuiq; ineptior. A motu vero vehementiore animi, quomodo *Sanguis* quoq; craſſior evadat, clare & diſtincte explicat *Sanctorius* in *Med. Stat.* § 7.

XLVIII. Quod

XLVIII. Quod vero ad *Liquorum ardentium* & *Spirituosiorum abusum*, *Febrium* quoq; causam *procatarticam*, spectat: Cum clare quidem constat, *Vini spiritum Sanguinem* recenter elicitum statim coagulare; nullum est igitur dubium quin horum *Liquorum* abusus, quendam *coagulationis* gradum, in *Sanguine* intra corpus producere valeant.

XLIX. Jam quoad naturalia *Febrium Phænomena*, ac *Symptomata* eas concomitantia; qualia sunt *Calor* & *Rigor*, *Pulsus frequens*, *Sitis*, *Dolores*, *Inquietudines*, *Anxietates*, *Diliria*, *Maculæ* & *Petechiæ*, &c. Ea omnia opinor nullo modo commodius solvi posse, quam eorum *Prosapiam*, ab hoc *difficili Sanguinis motu* derivando: Alia enim sunt *Immediate*, alia vero *Mediate*, (*Mediante*, scilicet, *primi Impellentis* lucta & conamine, *motum* redintegrare molientis) nascentia.

L. In limine igitur opinor, *cuivis* qui unquam *Febri* laboraverit hanc nostram *Febrium Hypothesin* obviam fore, modo recordatus fuerit, continuas & vehementes *Pulsationes*, quibus in *Capite*, *Dorso*, *singulisq; extremitatibus*, ipse *Febricitans* affligebatur: quæ quidem *Pulsationes*, *difficilem* ac *tardum Sanguinis* per has partes *cursum* & *progressum*, clare indigitabant: *Sanguinis* enim pulsus, in obices vehementior, tum sentitur, tum affligit: Cum in sanitatis statu nil tale sentiatur; quia *Sanguis* tenuis, per *Canales* patentes, tunc placide tranat.

LI. Ad *Calorem* in *Febribus* secundum hanc *nostram Hypothesin*, explicandum: Animadvertendum, quod in *naturali* & *sanitatis* statu, *Calor* licet vegetior

tior ac vividior ſit, quam in ſtatu valetudinario, minus tamen ſentitur & afligit: In ſanitatis quippe ſtatu *Caloris radii* (num hi ſpirituum denſa ſint agmina, non eſt hic diſquirendum) in *Sanguine arterioſo*, in medio quidem ſatis *Diaphano*, per *meatus* ſat patentes, omnia verſus organa, habitumq; corporis, ad ea refocillandum, vegete ac lete fluunt: Ex quo influxu integre perfuncto, *vitæ fœlicitas, functionumq; integritas*, certe pendet: In *ſtatu* vero *morboſo, Febrium* præſertim *Calore*, hi *radii* per *medium craſſum* & obſcurum tranantes, qualis tunc *Sanguis arterioſus* eſt, inq; *capillarium vaſorum* oras, partim *obſtructas*, partim *ſcabritie* & *viſcoſitate* obſitas, impingentes: Hi, inquam, radii in tranſitu neceſſario refranguntur, & reflectuntur, & colliſiones plurimas ſubeunt. Probabile inſuper eſt, quod *radiorum Caloris modificationes*, in *tactus* ſenſum ſimilem plane effectum producant; quem pariles *radiorum Lucis* ac Viſus *modificationes* in *ſenſorium* ſuum producunt: Notum enim eſt, *diverſitatem*, aut *inæqualitatem medii*, per quod *radii viſivi* tranſeunt, ſive a quo refranguntur, aut *varietatem texturarum ſuperficiei*, a *qua radii* incidentes reflectuuntur, in *viſus* organo *imagines* imprimere, quibus objecta repræſentantur diverſimode figurata ab iiſdem, abſq; dictis *refractionibus* & *reflectionibus* repræſentatis: Non improbabile igitur videtur, *Caloris radios* per *medium* illud *craſſum* & *inequale Sanguinis* tranſeuntes, diverſimode *refrangi*: Atq; ita refracti, *Caloris ſenſorium* appropinquantes, id eſt, *Nervos* ubiq; per corporus diſperſos, inibi majorem ſolito *Caloris* ſenſum

im-

imprimi. Aut ſi placeat per *reflectionem*, quod eodem redit, cum hi nempe *radii* per *Arteriarum truncos* ejaculati, in anguſtos *meatus ſcabritie* obſitos, ſive *obſtructos* incidunt, in *Nervos*, caloris ſenſorium, diverſimodi reflexi impingunt, atq; *impreſſionibus* vehementioribus eas afficiunt; quam cum latera *Vaſorum* placide tranant, perq; patentes *meatus* diſperſi, munus deſtinatum perfunguntur.

LII. Quod *Caloris intenſioris* ſenſus, pari fiat modo, ex hoc inſuper *Phænomeno* clarius conſtabit; cum ore, ſcilicet, patulo lente expiramus, manus tunc appoſita, ſenſu *Caloris* ab halitu afficitur. Si vero eadem expiratio ore contracto velocius fiat, *Frigoris* tum ſenſum imprimit: In priore quippe caſu, halitus *particulæ* non *directe* feruntur, ut in poſteriore caſu, ſed motu *tranſverſo* & *titubante*, *reflectioni* & *refractioni* quodam modo *æquipollente*, in *Tactus* ſenſorium *Caloris* ſenſum impingunt; cum eædem ipſæ *particulæ* directe fluentes *ſenſum* non *Caloris*, verum *frigoris*, manui imprimuunt. Atq; hoc *Phænomenon* halitus expirati, lucem aliquem, ut opinor, etiam adferet *Phænomeno* iſto *Rigoris*, in *Febribus* quoq; frequenti, qui ex *modificatione* quadam motus *ſpirituum* intra corpus, huic halitus *modificationi* quodammodo æquiparanti, pendere videtur.

LIII. Quod *ſitim* in *Febribus* attinet, Ea a *Calore* nullo modo producitur, uti vulgo creditur, ſed alius eſt potius rivulus ex eodem quidem fonte cum *Calore* ſcaturiens, ex *Sanguinis*, ſcilicet, & *humorum craſſitie*. Non eſt igitur *Calor*, qui *linguam*, *fauces*, *œſophagum*, &c. exſiccat; ſed eſt irrigationis harum

partium defectus: *Glandulæ* enim *lymphaticæ* & *salivales*, eadem pariter *obstructione*, ex *Humorum crassitie* affectæ, liquorem proprium a *Sanguine* vel non *secernunt*, vel eum secretum, in istas partes non excernunt.

LIV. *Phænomena* illa *dolorum* omnis generis, *Inquietudinum*, *Anxietatum*, ex eadem *obstructionis* quoq; fonte, æq; facile solvi posse arbitror: Quia *Spiritus* sive *Caloris radii*, ratione *medii crassi* seu *meatuum coangustationis*, cursum sibi destinatum peragere non valentes, quaquaversum resiliunt; atq; ita in *partes nervosas*, sensu exquisito præditas impingentes, *dolores* excitant; ac in quavis parte *Scænas* peragentes, *Symptomata* illi competentia & congruentia excitant.

LV. Atq; in *Cerebro* pari fere modo *Dilirium* excitatur: Ille enim affectus solummodo videtur oriri, ex *Spirituum* motu directo, *collisionibus* & *refractionibus* perverso, *imaginationem falsam*, & *concussam*, imprimente: Pari fere modo, ut fit in *visus* deceptione, cum remus in aqua fractus apparet; idq; propter *Radiorum visus refractionem* & *distortionem*: similiter probabile est *Spiritus* inter *Cerebrum*, vel *succum* saltem *nervosum* eorum vehiculum aut *medium*, genitos, ex *Sanguine* hoc *crasso* & *inequali*, illorum in *Sanguine refractionum* & *distortionum* parente, talibus pariter *refractionibus* ac motus *depravationibus*, in *cerebro* esse obnoxios: Atq; exinde produci cuncta illa *Phænomena*, Cerebro & Nervis competentia.

LVI. Quod *Diliria* pari fere modo excitentur, clarum insuper erit, si pensitemus familiare illud

Dilirium tactus, quod fit, *medio digito* ſupra indicem ejuſdem manus torto, atq; *digitorum apicibus globulum* aliquem palpando, non ſolum putares, ſed jurares te *duos globulos* tangere, nullatenus etiam niſi *oculis* ab errore, & dilirio liberaberis: Hujus quidem deluſionis ratio videtur eſſe a *Nervorum diſtortione*, quæ *Cerebro diſtortam* & depravatam objecti impreſſionem conſignat; veluti etiam hoc *Phænomenon* quodammodo refert deceptionem illam *viſus*, objectum per refractionem depravate repræſentantem; ita clare indicat *Dilirium* ſive *Imaginationem depravatam*, a *ſpecierum refractione* intra *Cerebrum* pendere.

LVII. Nullum, ut opinor, in *Febribus Phænomenon*, hanc noſtram *Hypotheſin* clarius firmabit, quam *Macularum* & *Petechiarum* eruptio: Hæ enim *Maculæ* vibices in cute ex ictu inflictos omnimodo referunt; pariterq; certum eſt, ex *Sanguine coagulante* in contuſis, ac diſtortis *capillaribus*, hos vibices conflari: Qui durare ſolent, donec novus *Sanguis*, gradatim adveniens, Canales hoſce repurgaverit, ac refarciverit, cutiſq; colorem debitum renovaverit. Eodem fere modo hæ *Maculæ* in *Febribus* oriri videntur; hac tamen differentia, quod in *Febribus Maculæ* ex *Canalium* contuſione non pendeant, verum ex *Sanguinis craſſitie* vaſa illa *capillaria* infarciente, cutemq; *rubore*, aut *livore* tingente: Eademq; omnino videtur differentia inter *Maculas* rubras & lividas, (gradu nempe ſolum differentes) quæ eſt inter eaſdem *Maculas*, ab externa cauſa pendentes: Gravior enim contuſio, *Livorem*, uti lævior ſolummodo

modo ruborem, cuti inferre ſolet: In *Febribus* ſimiliter minor *coagulatio* ſive *obſtructio* rubras, major vero lividas *Maculas* generare poteſt.

LVIII. *Phænomenon* illud in *Febribus* maxime ſolitum, ac raro eas non concomitans *Pulſus*, ſcilicet, *frequens*, ſi ſecundum hanc *Hypotheſin* clarius ſolvi poſſit, tunc non ſolum eam firmabit, verum eorum ſententiam evertet, qui ex eo quod *Pulſus* in *Febribus* frequentius vibretur, *Sanguinem* ideoq; velocius circulari tuentur.

LIX. Ad *Phænomenon* igitur illud, *Pulſum* nempe frequentem, commode ſolvendum; animadvertendum eſt, Corpus humanum mirabilem ſane eſſe *Machinam*, atq; illud non ſolum, ſicut aliæ *Machinæ* ſolent, ſui motus, tam efficientem, quam finalem cauſam habere.

LX. Quemadmodum etiam in *Machinæ* alicujus ſtructura & ædificatione, *Cauſæ finalis* idea eſt in mente *Architecti* ante *cauſæ efficientes ideam*, indubie hoc efficiet *ideam* cauſæ *efficientis* motus in *Machina*, formari cum reſpectu ad *ideam* cauſæ finalis. In ſtructura pariter *Machinæ*, cauſæ efficientis motus conſtructio, ad finalis exigentiam indubie modulabitur, id eſt, ut motum fini debitum, ſuperatis impedimentis *Machinæ* debite aſſequatur; *Efficiens* ergo debet eſſe præditum *facultate* & *energia*, vim ſuam intendendi pro ratione impedimentorum quæ contingunt, ut *Machina* debitum ſuum, ſcilicet, aſſequatur finem, in quantum ſaltem *Mechaniſmi* ſtructura patiatur; uti in *Horologio* conſpicitur, cujus *Elater* ita adaptatur, ut vel intendi, vel remitti poſſit, pro

fine

ſine nimirum ſui motus aſſequendo: Plus quam probabile inſuper eſt, tam in motu naturali, quam artificiali, ſolummodo *finem* eſſe, qui tum *efficientem* ponit, tum *eam* ad operationem excitat: Per hunc ergo *finem*, moderari ac regulari omnino debet illa *efficiens*, in intenſione, ſcilicet, ac remiſſione, prout cernitur, cum *Nautæ* aquam exantlant: Hic motus *Antliæq;* agitatio, pro ratione aquarum in navim irrumpentium, ſemper moderatur; magna undarum irruptio, ſtrenuam ac frequentem, minor vero irruptio moderatam *Exantlationem* ſolum requirit. Pari fere modo, opinor, fieri in *Pulſu Cordis* atq; *Arteriarum*, qui cum ſint cauſa efficiens motus *Sanguinis*(neq; inepte comparantur *Antliæ*) illorum enim motuum finis eſt, *Sanguinis* deſtributio pro nutrimento totius corporis, idq; pro exigentia ſolum *cauſæ finalis*, id eſt, ratione tantum diſpendii, pro illius enim ratione, *æconomia animalis* reparari ſolum exigit: Corpora quippe noſtra, continuo fluxu conſtant (quod iis omnem conſtantiam denegare videtur) partibus, ſcilicet, novis, in veterum deperditarum locum continuo ſuppeditatis: Veluti in flumine, quod nihil ſane *Identitium* niſi Canalem habet.

LXI. Hæc igitur *Oeconomiæ* motus cauſa finalis, efficientem poſcere videtur, (num hæc efficiens vocetur *Archeus*, vel *Spiritus animales* &c. non eſt hic diſputandum, certum tamen eſt tale quid ſeu primum impellens in corpore dari) quæ aptitudine ſit prædita, non ſolum ad hunc motum continuandum, verum etiam ad eum pro ratrone exigentiæ *finalis* incitandum; veluti quando quælibet circuitus *Sanguinis*

guinis remora intervenit, ad hanc ſuperandam, neceſſe eſt, *efficientem* motus *cauſam* proportionaliter intendi ad ſuperandam nimirum iſtam remoram, ſinemq; motus aſſequendum, in quantum ſaltem (ut dictum) *Mechaniſmi* compages capere poteſt. Si enim aliter eſſet, quodvis impedimentum, æqualis etiam *momenti* aut *reſiſtentiæ*, moderato & ſolito *Sanguinis curſui* interpoſitum, ejus ſtatim motum perimeret: Atq; etiam in *Fluvio*, quædam eſt hujus *facultatis* ſimilitudo, ex alio quamvis principio efficiente, parem tamen propter *finem*: Quælibet enim impedimenta obiceſve, ad *fluvii* curſum impediendum appoſita, gravitate aquarum cito ſuperantur. Si enim aliter fuerit, læve aliquod impedimentum æqualis momenti aut reſiſtentiæ ſolito *fluminis* curſui, aut forte aut conſilio appoſitum, *fluvii* ſtatim curſum intercideret, magno humani generis incommodo, nec minore fabricæ mundi vitio.

LXII. Cum itaq; ad *Oeconomiæ animalis* reparationem, tum tempore tum quantitate, in proportione ad diſpendium, alimentum invehi debeat; in violento igitur corporis motu, ubi diſpendium eſt longe ultra ſolitum, neceſſe eſt quod Pulſus acceleretur, ad reparationem diſpendio proportionalem ſuppeditandam; atq; tunc *Pulſus* etiam & *Reſpirationis frequentia*, ac *magnitudo* inſignitur augetur: Huic tamen *Pulſus* incremento anſam etiam præbere, fatendum, ut ante dictum, *Sanguinis craſſitiem*, in omni motu quoq; auctam.

LXIII. Cumq; ita ratione diſpendii ſolito majoris uti in corporis motu; aut etiam ratione *Sanguinis* craſ-

craſſitiei, uti in *Febribus* evenit, aut ratione utriuſq; *Cor* & *Arteriæ* ſupplementum tum tempore tum quantitate debitum, *ſolitis pulſibus* ſuppeditare nequeunt; tunc *ictus* præcipitando, *pulſuumq;* intervalla coanguſtando, ſive ad *Alimentum* diſpendio *proportionalem*, ſive ad hujus motus difficultatem ſuperandum, *Cor* & *Arteriæ* ſtimulantur, *Sanguiniſq;* motus *tarditatem*, *vibrationum duplicatione* corrigere nituntur; ut debitam, ſcilicet, quantitatem, debito tempore ſuppleant *Alimentum*.

LXIV. Verum ſi non obſtante, ſedulo hoc *Cordis* & *Arteriarum* conamine, *Sanguinis* illa *tarditas*, per continuam cruditatum invectionem, uſq; adeo incrementum ſumat, inq; *vaſis capillaribus* plures *circuitus* obices ponantur; tum recta ducitur ad *januam* & *porticum Mortis*, *Mors* enim nihil aliud eſt, quam *diſtributionis Alimenti animalis* totalis ceſſatio.

LXV. Si cuivis dubium adhuc remanet de dictis, quod hæc *Oeconomiæ facultas*, cum ſolum ſit *naturalis*, *animaliq;* tantummodo propria, uti ſupra deſcribitur rationis actui, ſeu actioni voluntariæ, & propter finem quoq; agenti, plane æquipollet: Ad hoc dubium ſolvendum, opinor, cuivis obvium eſſe, in *Animalium* fabrica externa, *Naturam* tantum conſilii & rationis adhibuiſſe; ut palam ſit *Ideam* finis, integram animalis regulaſſe ſtructuram: Atq; ita illius *fabrica* in talem erecta eſt perfectionem, ut cenſura vel maxime rigida, nullum vitium aut defectum obſervare poſſit: Uti in *Tractatu de cauſa finali rerum naturalium*, per *Nobilem* & *Doctiſſimum Boilleum* illuſtratur: Anne ergo putandum eſt, *ſapien-*

tiſ-

tiſſimum Architectum non exornaſſe internas animalium partes & functiones, facultatibus requiſitis, pro re nata, ſive animalis exigentia, exercendis? Deeſſet precor! *Creator miſericors*, in perficiendo hac fundamentali functione *diſtributionis*, ſcilicet, *Alimenti*, eamq; relinqueret quibuſlibet minimis obſtaculis, obnoxiam, ſtatimq; perimendam & convellendam? Unde quolibet momento in ruinam *Animal* præcipitaretur. Cumq; *Animalia* facultate velocitatis gradus intendendi prædita ſint, qua externa imminentia fugiant pericula, quid quæſo vetat, quo minus ſimili interna quoq; facultate fruantur, qua interna ſæpe impendentia pericula quoq; caveant?

LXVI. *Animalis* quoq; conamina interna, *irritationi* vulgo adſcripta, quandamq; hujus *facultatis* ſimilitudinem referentia, an non *actionem propter finem, ſeu rationalem*, huic jam deſcriptæ æqualem plane evincunt? Impreſſio enim parti alicui ingrata, ſtatim a *Cerebro* ipſius ſenſus ac motus fonte ſentitur, cui ſublævandæ *Cerebrum* fideliter conſulit, partiq; quærenti ſuppetias mittit, ad materiam irritantem excutiendam, maxima enim conanima, & impetus inibi excitando, membrum dolens liberare laborat: Nonne igitur probabile eſt, partium *inediam* (tam ſane queruloſam quam earum *oppreſſionem*) æque ſublevandam eſſe, in quantum ſaltem *Oeconomiæ* motus *Lex* ſive *Genius* ferat?

LXVII. *Actio* præterea *naturalis*, huic plane æquipollens, in *Oculi pupilla* clare conſpicitur: *Pupilla* enim abſq; voluntatis arbitrio, contrahitur & dilatatur

vis quantum ſufficiat *ſpeciebus viſivis* in *Retina* diſtincte pingendis: Dilatatur enim *Pupilla* in parvo lumine, ut ſufficiens lumen in oculum immittatur, contrahitur viciſſim nimio lumine, ut tantum quod ætis eſt recipiat.

LXVIII. Quantumvis in *Febribus Phænomenon* quandoq; occurrat, huic ſolutioni accelerationis, ſcilicet, *Pulſus* apparenter oppoſitum: Illud tamen ſecundum eam ſolvi poſſe arbitror; atq; illud eſt, ubi in *Febribus* iiſq; etiam funeſtioribus, *Pulſus* nihil ſolito frequentior eſt. Hoc in caſu opinor *Pulſus* tarditatem pendere ex eo, quod primum *impellens*, ſeu primus in corpore *motor* ſit illaqueatus, vinctus aut ſtupefactus; nec exigentiis *Oeconomiæ animalis* debite auſcultet, neq; vim ſuam ad languidam *Alimenti* diſtributionem ſubveniendam intendat. Et hic caſus periculo non vacat, ea enim de cauſa *Animalis œconomia* in exitium plerumq; ruit.

LXIX. Si ſolutio hæc de *Pulſus frequentioris* cauſa & modo non placuerit, aliam proponimus ſolutionem, *mechanicis legibus* magis forſan conſentaneam

LXX. Opinor quidem *Pulſum* in ſanitate integra minus eſſe *frequentem*, quam *in ſtatu morboſo*, præſertim, ſcilicet, *Febrili*, & hac maxime de cauſa: In ſtatu quippe *Sanitatis*, *Arteriæ* magis *dilatantur* & magis *contrahuntur*, quam in ſtatu *Febrili*: In ſtatu enim ſano, cum *circuitus Sanguinis* vegete & integre perficitur, certum eſt qualibet *Arteriarum contractione*, totum fere *Sanguinem arterioſum*, ex iis in *Venis* exprimi: *Arteriarum* ideoq; *tunicis* prope centrum ſuum contractis, plus requiritur temporis ad *earum dila-*

tationem, quam in ſtatu *Febrili*, ubi *Sanguinis tus* ob cauſas ante dictas languide perficitur, contentiq; *Sanguinis* pars minima in *Venas* exprimitur. Maxima enim *Sanguinis contenti* pars in *Arterijs* adhuc ſtagnans, impedit earum *Contractionem* prope centrum: Citius ideoq; reſiliunt & tactum feriunt in *dilatatione*, quam in priore caſu, ubi *Arteriæ* de *Centro* in ultimam ſuam extentionem *dilatantur*: cum igitur in ſanitatis ſtatu, *Contractionis* & *Dilatationis* limites magis diſtent, quam in ſtatu *Febrili*, ubi contractio *Arteriarum* eſt minima, neceſſe ſane eſt ut *Pulſus tactum* rarius feriat, quam in *ſtatu Febrili*, ubi *Contractionis* & *Dilatationis* limites minus diſtant. Atq; in utroq; quidem *ſtatu*, *Pulſus* vibratio quoad *frequentiam*, modum ſemper tenet, pro menſura & extenſione *Contractionis*: *Contractio* enim *Arteriæ* intima & prope centrum, *Dilatationem* & *Pulſum* efficit *rarum*: *Contractio* vero minor & ſuperficialis *Dilatationem* quoq; & *Pulſum* frequentem neceſſario parit.

Hujus etiam *Phænomeni* ſimilitudo clara in *Reſpirationis* actione conſpicitur, quæ in naturali ſtatu eſt *rarior*, ac plus *Aeris* in *Pulmones* inſpiratur, plus etiam qualibet vice expiratur, pectoris nimirum *Dilatatione* & *Contractione*, quam in *reſpiratione* anheloſa & frequenti.

LXXI. Similiter plane fieri videtur in *Sanguinis* motu: Certum enim eſt *Cor Sanguinis* quantitatem in *Arterias* ſolum propellere, pro modo & ratione, quo *Arteriæ* in *Venas* inaniuntur; quodq; etiam *frequentes* & *breves Arteriarum vibrationes*, minus *San-*

gui-

nis in *Venas* immittunt; constabit exemplo *Antliæ Hydraulicæ*, per breves enim ac frequentes ejus baculi vibrationes, minus aquæ quam per longiores ac rariores effunditur; præsertim casu, quo liquor exantlandus vel *crassus* est & *viscidus*, vel *epistomium* minus adaptatum, vel foramen demq; *Antliæ* quovis modo obstructum est. Hisce quidem casibus, magnis & frequentibus baculi *vibrationibus* frustra exercetur *Antlia:* Frequentes itaque *Arteriarum vibrationes* minus *Sanguinis* in *Venas* propellunt, cum *Sanguis* ipse est *crassior* & *viscidus*, sive cum *meatus* inter *Arterias* & *Venas coanguſtati* aut *scabritie obsiti* sunt. Certum enim est, eo *casu* plurimum *Sanguinis arteriosi* in vasis stagnare, ex quo *Tunicarum contractio* in *centrum* omnino impeditur;ideoq; citius in *diastole* resiliunt in tactum *Arteriæ*.

LXXII. In *Agonizantibus* porro *Pulsus* tam frequens cernitur, ut magis *trepidationem*, quam distinctam *Systolen* & *Diastolen* referat, quodq; ex eo fit, quia *Arteriarum contractionem* minimam, statim sequitur *dilatatio:* Hoc itaq; in casu *Sanguinis arteriosi* fere nihil in *Venas* exprimitur: *Circuitusq; Sanguinis* in totum fere perimitur.

Quamvis *Pulsus frequens*, *Febris signum pathognomonicum* vulgo sit nuncupatum, in plurimis tamen *Febribus*, ut ante observatum est, *Pulsus* non est solito frequentior.

LXXIII. Si prior hujus *Phænomeni* explicatio, non satisfacit, hanc modo dictis magis *Analogam* propono: *viz.* Quantumvis in hoc casu *Sanguinis circui-*

tus æq; tarde perficiatur, ac ubi *Pulſus* eſt *freque*
Opinor tamen *Velocitatem contractionis* & *dilata*
nis Arteriarum, hic quoq; eſſe *læſam*: Atque ideo
parvam hanc *contractionem* & *dilatationem* tarditate
ſua, tantum conſumere temporis & tam raro tactum
ferire, quam in ſtatu ſano, ubi *Arteriæ* contrahuntur
ad *centrum*, totumq; *Sanguinem* in *Venas* expellunt;
rurſumq; ad extimam amplitudinem dilatantur. Eo
igitur in caſu arbitror, tum *velocitatum*, tum *extenſio*
nem Contractionis & *Dilatationis Arteriarum* eſſe læſam.

LXXIV. In *Febribus* inſuper aliud eſt *Pulſus* viti-
um, *Pulſui frequenti* etiam affine, quodq; illi adjun-
ctum quoq; eſſe ſolet; periculoſum quidem *ſignum*,
nempe *Pulſus parvitas*, quæ cauſam hanc agnoſcit,
Arteriarum, ſcilicet, *tunicæ in dilatatione* parvum tan-
tum efficiendo *circulum*, parvumq; veluti in puncto
ſolummodo, tactui ictum imprimunt, ex eo quod
parum tantum *Sanguinis arterioſi*, a *Corde* in *Arteri-
as* immittitur, aut quia *Sanguis* ille minus *rarefactus*,
Spiritibuſq; *turgens*, parcius *Arterias* expandit; e con-
tra vero, cum *Sanguinis* copia *Spiritibus* turgida, in
Arterias immittitur, *Arteriæ* tunc *expanſione larga*
magnum facientes Circulum, magnum ſive amplum
tactui ictum imprimunt: Hæc itaq; *Pulſus parvitas*,
videtur eſſe *dilatationis Arteriarum læſio*, & ut laben-
tis *Oeconomiæ* eſt *Prodromus* ad illius totale excidium
viam ſane ſternit.

LXXV. Cumq; *Febris* incrementum aut *Decre-
mentum*, *Pulſus* majorem aut minorem *frequentiam*, ut
plurimum ſequitur; ſummæ igitur utilitatis eſſe o-
pinor, minimas *Pulſus* alterationes, quoad frequen-
tiam,

am, nempe, diligenter metiri, ac ſerio perpendere; ex quarum obſervatione, tum de *Juvantibus* & *Lædentibus*, tum *Prognoſeos* judicium tempeſtivum & ſolidum *Medico* ferre licet: *Pulſus* enim variationum menſuram debitam & requiſitam, ex conjecturali calculo, ope ſolius memoriæ abſq; fixa certaq; *Regula* aſſequi poteſt nemo: Facile tamen & certiſſime in hunc modum obſervationem ad unguem fieri comperii: Soleo enim ego *penduli* alicujus vibrationes *Pulſus ictibus* ad amuſſim adaptare, id eſt, efficiendo, ut eodem temporis ſpatio, *Pulſus* & *Pendulum*, numero æquales compleant *Vibrationes*, *E. G.* tempore quo *Pulſus* viginti dabit ictus, adaptando *pendulum* etiam utviginti *Vibrationes* det. *Pulſus* itaq; *conſtantia*, illiuſve *inæqualitas* in *frequentiæ incremento* nempe vel *decremento*, ad amuſſim, hoc modo probabitur, ex quo *Medicus indicationes* circa *juvantia* ſcilicet & *lædentia* ſolidiſſimas, imo & *prognoſin* tempeſtivam & certam capeſcere poterit. Hoc pariter artificium *Pulſum* exacte metiendi, æq; *Medico* neceſſarium eſt, ac *Nautæ* inter *Syrtes* ac *Brevia* verſanti, *lineam* habere *perpendicularem*, diſtantiis diſtincte quoq; notatam, ut altitudinis undarum *incrementum*, aut *decrementum* clarius probet; ſine enim diſtantiarum notis in *linea*, minime poteſt certo, maris *altitudinem* menſurare. Ita porro *Medicus* minimas haſce *Pulſus* variationes, multo certius aſſequetur, per dictum ex *Pendulo calculum*, quam vaga & incerta conjectura: Cui nequaquam in rebus multo minoris momenti, credere ſolent homines; cum quoad quantitates rerum *fungibilium*, conjecturis in-

incertis non credant, ſed eas *menſuris* & *ponderi* definitis libratas ac menſuratas, ne fallantur, omnino exigunt; *Pulſuum* etiam *alterationes*, tam lente & obſcure procedunt, ut qui eas conjectura vaga aſſequi conetur, æq; fruſtra erit, ac is qui in *Horologio* motum, uno oculi ictu deprehendere nitatur.

LXXVI. Quod illud *Phænomenon, Urinæ*, ſcilicet, *Concoctionem* in *Febribus* attinet, *illud* etiam ſecundum hanc *Hypotheſin* commodius explicari autumo. Cum enim *Urina* craſſioribus particulis fundum verſus deſcendentibus, ſaturata conſpicitur, tum *Febris* ad optatam *Criſin* vergere prædicitur: Idq; non ſine ratione, *particulæ* enim *craſſæ* & *crudæ*, modo in *Sanguine* libero ejus *Circuitui* obſtantes, jam eliminatæ cernuntur.

LXXVII. Ad *practica Febrium Phænomena, Juvantia*, ſcilicet, & *Lædentia*, jam properandum eſt; ut videamus quod & quale huic noſtræ *Hypotheſi* ſuffragium dederint; ſitq; ergo primum *Venæſectio*, quæ omnium fere conſenſu in *Febribus* ſumme utilis prædicatur, clare enim conſtat, corpus per *Phlebotomiam* refrigerari, *Pulſumq;* miteſcere, cunctaq; fere dira *Symptomata* allevari: Adeo ut *Ebrietatis Febrim* atq; *furorem*, *Phlebotomia* celebrata etiam lenit: Sed quomodo hæc omnia fiant, jam indagandum reſtat. Certiſſimum ſane eſt, proximum & immediatum *phlebotomiæ* effectum eſſe, *venæ ſectæ inanitionem*; neceſſario dein ſequitur, *Venam Cavam* aliquatenus inaniri, ob defectum aut carentiam regreſſus *Sanguinis* per *Venæſectionem* emiſſi; intercepto, ſcilicet, Sanguinis effuſi regreſſu ad *Venam Cavam*: Hanc *Venæ Cavæ* ani-

tionem, neceſſario proxime ſequitur in *cavam* ex aliis *Venis* liberior *Sanguinis* introitus: quem demum ſequitur omnium *Venarum* particularium *detumeſcentia*: remota itaq; *Sanguinis venoſi turgeſcentia*, & *momento reſiſtentiæ* in *Arterias* detracto, certiſſimum eſt *Arterias* vegetius ac liberius *Sanguinem* in *Venas* propellere: Atq; ita *obſtructiones* & *remoras* in *anguſtis meatibus* hærentes everrere: Cum ante *Veneſectionem*, ex *Sanguinis venoſi turgeſcentia*, ut ex illius *contranitentia*, *Sanguinis arterioſi* preſſuræ æquali, (ſuppoſitis ſimul *obſtructionibus* aliquot intermediis meatibus latitantibus) nil mirum ſi *Sanguinis circulatio tarde* ac *languide* perficiebatur. Non abſimile pari *phænomeno* in *Molendino*, cujus *rotæ motus* ſiſtitur a *reſtagnatione* aquarum infra rotam: Quia *gravitas* & *reſiſtentia reſtagnationis* æqualis eſt *gravitati aquæ*, quæ in *rotam* incidendo eam moveat aut circumrotet. Cum vero *Aquarum* illa *reſtagnatio* ſubſidit, tum circumgiratur ſtatim *molendini rota*. Pari ſane modo, opinor, ſubitam *Venarum depletionem*, quatenus *contranitentiam Sanguinis venoſi* in *Arterioſum* removet, *Arteriis* liberius in *Venas* inaniri anſam præbere; hos quoq; *anguſtos meatus*, inter *Arterias* & *Venas*, eodem labore purgari & poliri certum eſt.

LXXVIII. Reliquis *Phlebotomiæ* effectis penſatis, tam hanc ſolutionem, quam principalem *Hypotheſin* ut opinor firmabunt, veluti *Phlebotomiæ* in *Hemoragiis* beneficium, quod ab *Effervescentiæ* rapidiq; *Sanguinis* in *Febribus* motus *Patronis*, ſuis favendum *Theoriis* violenter torquebatur: Sed hoc *Phænomenon* rite eventilatum, ut eorum ſententiam evertat, ita no-

noſtram uti ſpero confirmet. *Hæmorragiæ* enim *Febribus* præſertim contingentes, ut plurimum fiunt ex eo, quod *Sanguis* non pari paſſu recipitur a *Venis*, quo mittitur ab *Arteriis*, & non quod magis rapide per *Vaſa* circularetur: Quia tum nulla daretur ei occaſio ſecedendi, ſed potius quia in *Circuitu* remoratur, *Vaſa* ſua rumpit, & effluit: Cujus proprium remedium eſt *Phlebotomia*, quæ *Venarum turgeſcentiam* minuens, earumq; in *Arterias contranitentiam* tollens, *Sanguiniſq; circuitum* redintegrans, occaſionem *Sanguinis* in ſeceſſus deviandi, aut *Vaſa* ſua rumpendi omnino tollit.

LXXIX. Hic obiter obſervandum, quod ſecundum hujus *Hypotheſeos analogiam*, clare etiam enucleatur, qua ratione ſuperiorum *Venarum ſectio*, diverſum, ab inferiorum *Phlebotomia*, effectum habet.

LXXX. Notandum igitur quod dum *Vena* ſuperior ſecatur, tum *inanitio* in ſuperiore *venæ cavæ ramo* primum ſequitur; unde neceſſario, *Sanguis* inferioris *rami cavæ*, pleniore flumine fluit in *Cor*: Plus ergo *Sanguinis* per *inferiorem Corporis Vorticem* pro tempore *circulabitur*, quam per *ſuperiorem*: Motus tamen *Sanguinis* in *ſuperiore Vortice* erit velocior, modo patentes ſint ſinguli *meatus*, præſertim in *Cerebro*; ſi vero obſtructiones plurimæ in *Cerebro*, ſive *meatuum*, inter *Arterias* & *Venas ſuperioris* Vorticis, coanguſtationes contumaciores ſint; atq; *Sanguinis circuitui* obſtiterint, ut ſæpe in *Febribus* contingit, tum *vaſorum* ſuperiorum *Veneſectio* nihil aut parum proficit. Hoc itaq; caſu, longe utilius videtur, inferiores *Venas* aperire, quò *Sanguinis* fluvius *inferiora*

ra verſus derivatus, parcius per *Arterias* ad *Cerebrum* aſcendet: Unde *Arteriarum* in *Cerebro* inanitio quædam neceſſario ſequitur, quo datur occaſio, *Arteriarum tonum* redintegrandi, *Sanguiniſq;* *extravaſionem* præcavendi; qui pernitioſus ſane *affectus* in *Febribus* male tractatis frequenter nimis contingit, hoc ſcilicet modo, *Sanguinis* enim in *Cerebro ſtagnatio*, & ex *obſtructis meatibus* inter *Venas* & *Arterias turgeſcentia*, novi *Sanguinis* appulſu continuo augetur, *Vaſorumq;* ruptionem & *extravaſationem* certiſſime minatur, ex quo periculoſa *Febrium ſymptomata* plerumq; oriuntur. Commodiſſimum ideo in *Febribus* videtur, ubi *Phlebotomiæ indicationes*, *Cerebriq;* graviter obſtructi ſigna adſunt, ob cauſam antedictam, ex *Venis* inferioribus *Sanguinem* elicere, idq; adeo repetendum, interjecta quoq; *Veneſectione*, ſuperiorum modo indicetur, quamdiu *Symptomata* hæc urgeant, & vires permittant. Certum quoq; eſt *Veneſectionem* pedis minori virium diſpendio, meliuſq; tollerari quam ſuperiorum *Veneſectionem*. De quo vide *Ingenioſum Donkerum* tract: *de Feb. petech: Cap: de Veneſect:*

LXXXI, In *Febribus* licet *Sanguis* emiſſus quandoq; *coagulari* neſcit, ex quo quidam, rem non ſatis perpendentes, ejus tenuitatem deducere conantur; *Phænomeni* tamen hujus recta enucleatio, contrarium plane, ut opinor, docebit, & *Hypotheſin* noſtram optime quoq; firmabit: *Sanguis* enim in *Febribus* emiſſus coagulatur, *grumo*, ſcilicet, *deſcendente*, ſero vero ſupernatante, ex eo quod *ſerum* tenuitate & lævitate debita donetur, & *Grumoſitas* ſive *Sanguinis*

ſolidæ partes debita ponderoſitate & craſſitie quoq; prædita, ad ſeparationem efficiendam: Ex levitate itaq; & tenuitate *Seri*, *Grumus* ſubſidit: atq; ex *Grumi* ſubſidentis *pondere*, tenue *Serum* ſupernat: Sed ſi poſt *Sanguinis* refrigerationem, *Serum* ac *Grumus* confundantur ac miſceantur, clare indicat, *Seri tenuitatem* a viſcoſitate vitiatam, vel *Sanguinis craſſiores particulas* in pondere aut dimenſione pariter vitiatas, vel *utrumq;*: Atq; ita *Sanguinis Globuli* in *Seri* amplexibus retinentur, & ratione *æquipondii* utriuſq;, nulla fit *præcipitatio* ſive *craſſiorum* a *tenuibus ſubſidentia*.

LXXXII. Inter *Phænomena practica* etiamq; *juvantia* in *Febribus* jure cenſetur *Purgatio*, idq; ſecundum *Silvium lib:* 1. *praxis Cap:* 29. *Riverium lib.* 16. *Fernelium in libro de Febribus & Guidonem Patinum in epiſtolis gallice ſcriptis primo vol: Epiſt.* 26. *Donkerum in idea Febris petechealis, & deniq; ſecundum Clariſſimum Sydenhamium in Sched: Monitoria.*

LXXXIII. Quamvis *methodus* in *Febribus purgandi*, ab his aliiſq; *celeberrimis Viris* laudetur, ea tamen, ob mala quædam *purgationem* quandoq; conſequentia *Symptomata*, in diſſuetudinem fere abiit; Donec *Nobiliſſimus* ille *Sydenhamius*, uti in *Sched:* ſua *Monitoria* publicavit, *Phlebotomiam* immediate ante *purgationem* celebrando, & *paregoricum* immediate poſt eam adminiſtrando, *Methodum* hanc purgandi in *Febribus* ante incertam & vacillantem omnino perfecte muniverit & adornaverit.

LXXXIV. *Purgatio* igitur in *Febribus* hiſce præſertim cautionibus adminiſtrata, non ſolum erit ſecura & efficax, ſed ob rationes hic adjectas, *Hypotheſin* noſtram *Febrium*, optime quoq; firmare valet.

LXXXV. Prima ergo *Cautio* ſit, ut *purgationi* non ſolum *Phlebotomia* ſit præmiſſa, verum etiam immediate ante *purgationem* ſit celebrata: Hac quidem de cauſa, probabile quippe videtur, omnem in corpore tumultum *orgaſmumve* cum doloribus & anxietatibus conjunctum, ex harum *cauſarum complicatione* oriri, proq; earum vero intentione pariter intendi. Ex *energia* viz. atq; *activitate* facultatis *Impellentis*, ſeu *Spirituum exploſione* impetus fruſtraneos excitante, ſive ad medium debitum tranſeundum, ſive ad materiam debitam per proprios *meatus* convehendum: Hi vero impetus fruſtranei ſunt, vel ob *materiæ* ineptitudinem, id eſt, illius *craſſitiem*, vel ob *meatuum anguſtiam* aut *ſcabritiem*; atq; hi exploſivi & fruſtranei motus terminantur in colliſiones & repercuſſiones in parietes & *Fibras Vaſorum* ac *Viſcerum*, inibi inducendo *moleſtias*, *anxietates*, *irritationes*, *ſpaſmos*, &c. *Viſceribus* aliquot primario, aliis per conſenſum affectis.

LXXXVI. In quo tumultuante *ſtatu*, functiones debito alimento deſtitutæ, in officio languent & ſuccumbunt: Cum hic ſit fere corporis *ſtatus* in caſu *Febris*, aut ſaltem magna adſit diſpoſitio ad talem ſtatum, ſi tum accidat *Cathartici ſtimulativa* ac *irritativa vis*, ſive in actuali *orgaſmo* ſive in diſpoſitione ſolum ad eum, *tumultus* neceſſario orietur, vel antea ortus indubie intendetur, ex commotis ſcilicet per *Catharticum humoribus*, quorum particulæ aliquot *viſcoſæ* & *craſſæ* in *ſanguinem* agitatione delatæ, ibi novas *tragœdias* agunt.

LXXXVII. Sed per *Veneſectionem* jamjam celebra-

tam, *obſtructionibus* aliquantulum reſolutis *curſuq; ſanguinis* quodammodo reſtituto, *ſpiritus incitati* & irritati *crudiq; humores a Cathartico* ſuſcitati, per patentes meatus moventes *nullos* excitant tumultus: *Hæ* itaq; *particulæ craſſæ* & *viſcoſæ* per *Catharticum* excitatæ, a motu *ſanguinis* vegeto, per patentes adipis *inſenſibili perſpirationi* cito eliminantur.

LXXXVIII. Secunda *practica* Cautio in adminiſtratione *Purgantium* in *Febribus* ſit, ut purgantium *Doſes* adminiſtrandæ, ſalibus volatilibus probe impregnentur, ex quibus *Orgaſmi*, *Anxietates* & *Deliquia* inter operationem plerumq; oriunda, ſecure præcaveantur: Sed ſi in preſente corporis *diſpoſitione*, talis adſit ad *Orgaſmos* proclivitas, ut *Volatilia* hoc modo adminiſtrata, non eas cohibere valeant, omnino id efficaciter fiat, *Volatilium* in vehiculo idoneo tempore operationis *Cathartici* repetita adminiſtratione, quorum vi ac virtute *Purgatio* deſideratum *exeret* effectum, abſq; periculoſo aut noxio aliquo *ſymptomate*: Cujus quidem ratio videtur eſſe hæc, quod *Volatilia purgativis* ſuperaddendo, ubicunq; *purgativa ſtimulativam* exercent vim, attenuante & aperiente Volatilium virtute ipſis copulata, *Catharticorum* operatio facilis & mitis redditur: Atq; hæc *ſymptomata* operationem purgantis medicamenti quandoq; comitantia plurimos medicos ab hujus methodi uſu deterruit & adhuc deterret, qui hoc remedium facile & efficax ignorarunt.

LXXXIX. Tertia atq; ultima *practica Cautio* de *purgantibus* in *Febribus* adminiſtrandis eſt *Purgorici* ſive medicamenti *Pacifici* poſt *purgationem* uſus

s: Eoq; maxime casu est adhibendum, cum nempe morbi *fomes* sive *causa antecedens* tam copiosa est, ut ex *Cathartici* operatione solum turbata aut excitata, plures in *Sanguinem* cruditates immittat, quam ipsius *Circuitus* vix adhuc integer, subjugare valeat: Quod certo dignoscitur ex *Anxietatum* aut *Inquietudinum* ingruentia, post finitam *Cathartici* operationem: Tum opportune advenit *tertium* atq; ultimum illud, in *Febribus auxiliare*, sola scilicet, *Clar: Do: Sydenhami inventio*: Hæc enim occasio *paregoricum* non solum secure ferat, verum ejus opem plerumq; obnixe implorare videtur; cujus usu non tantum demulcentur hæ *stimulationes* in *Spiritibus* ex commotione cruditatum impressæ; Sed *Viscidorum* etiam *humorum* sequacitas, *crassiorumq;* attenuatio efficaciter promovetur, placidus quoq; inducitur somnus, qui cunctas refocillando functiones, *materiæ* huic crassæ *attenuandæ viscosæq;* subjugandæ atq; ita & *Perspirationi* eliminandæ mire etiam confert.

LXXXX. *Tumultu* itaq; orto ex *Cathartici* operatione compresso, *Catharticum* aliud, induciis ope *Paregorici* concessis, administrari potest, post cujus *operationem*, & deductam simul *fomitis morbi* partem, *tumultus* ex illo oriundus, subsequenti pariter *paregorico* sedari possit: Atq; sic commode & secure *purgare* quoq; & *pacificare* vicissem liceat, prout *fomitis* copia, aut tenacitas deposcit. *Cathartico* energiam suam optatam exerente, absq; ullo incommodo aut noxa, usq; ad totius *fomitis morbifici* consumptionem, *causæq; antecedentis* extirpationem, cui extirpandæ, vix aliquando sufficient sexies repetita *Cathar-*

thartica, eaq; etiam fortiora, in contumacioribus; ſcilicet, *Febribus*: *Lævamen* vero quodvis *Cathar-ticum* immediate ut plurimum ſubſequens, *Cathar-tici* reiterationem facile ſuadet: Expertus loquor.

LXXXXI. Quod *fomitis* quædam reliquias ti-net, quæ *Cathartici* vires eludentia, & adhuc *Sanguinis* maſſa fluctuantia, moleſtiam & ægritudinem creare poſſunt: Hæc quidem reliquia (Concoctionis ſignis præſertim in urina apparentibus) *Paregorici* uſu (adjunctis ſi opus ſit *ſalibus volatilibus* & *teſtacies*) adhuc continuando, facillime attenuentur & diaphoreſi eliminentur: Virtute enim *Diaphoretica paregoricum* notabiliter eſſe præditum, teſtantur *Cl: Authores* uti *Wedelius* in *ſua Opiologia* & *Etmullerus* in *Virtute Diaphoretica Opii*, qui alios plurimos Authores idem ſentientes inſuper nominant: *Paregoricum* etiam inducendo ſomnum, aut ſaltem quietem placidam, *Perſpirationi* retentæ eliminandæ optime confert: Secundum *Sanctorium Sect.* 4. § 11, 13, 18, 19. &c.

LXXXXII. Et mirum quam naturæ gratum ſit hoc *Diaphoreticum pacificum*, cum œconomiæ funeſta ex tumultu conſternatio plane imminet: *Natura* enim *luctamine* cum morbo defeſſa, inducias letius amplectetur, ut quaſi conſilium ad deliberandum ineat (quod nunc ſecurius fiat viribus hoſtis *Cathartici* virtute aliquatenus interciſis) utq; conſulta exæquetur: Cui optime conferunt *quies* & *ſomnus*, hoc præcipue ordine ac methodo comparata, in hoc itaq; laudandum eſt *Paregoricum*, quod vi *Diaphoretica*, una cum *ſedativa* polleat; in quo cætera cuncta

Dia-

Diaphoretica longe excellit, quæ, præsertim sine debita *purgatione* præmissa, usurpata, ut plurimum cruditates omnes versus obstructos meatus præcipitanter nimis stimulando, tum *tumultum* sive *Orgasmum* excitant aut exasperant, tum *crudam materiam* in *meatus obstructos* impactius impellunt: Eodem fere modo ac in domo populo referta fit, cum, scilicet, hic populus terrore subito perculsus totus simul exire niteretur: Hoc omnium subitum exeundi conamen, confusionem talem ac tumultum plane excitabit, ut singuli aliorum gressus impediant, cum patientia ac ordo, facilem omnibus egressum concederet, distantiores a foribus continendo, dum egressu eorum qui foribus proximiores sunt, via ipsis patefiat.

LXXXXII. Similiter plane timendum est, ne in corpore crudis & viscosis succis referto, ingens oriatur tumultus, cum *Diaphoreticorum* impulsu cruditates omnes versus corporis superficiem impetuose feruntur: In quo cursu cruditates in primis viis, primo *Diaphoreticorum* impulsui obnoxiæ, in *Sanguinem* feruntur, quo ejus *circuitus* jam vacillans, magis turbatur, atq; plus præterea *materiæ crudæ* in *Poros* jam satis obstructos impellitur. Sed ad hanc *evacuationem* per *Diaphoretica* fœliciter exercendam, *Natura* atq; ratio plane dictat, via prorsus contraria insistendum esse, *primo Poros* aperiendo & *Fibras* roborando, ut *perspirabilis* retenti exhalationem invitemus: Dein quod proximum est, ac cum *Sanguine* mistum, ad *perspirandum sollicitemus*: Atq; demum, si unquam fauste, *primariam viarum cruditatem* per

Di-

Diaphoretica ſunt eliminandæ: Quæ omnia, [illegible] me hoc ordine, per interna *Diaphoretica* perficere difficile ſane videtur, ut clarius evincit *Sydenhamius* in *Sched: Monitoria.*

LXXXXIV. Circa *Paregorici* exhibitionem in *Febribus* ſecundum hanc *Methodum*, hæc demum *practica Cautio* ſedulo obſervanda, nempe quod *Paregorici* poſt purgationem *doſis* non tota ſimul, ſed *partitis* aliquot *vicibus* exhiberi cupit, *Doſiſq;* portio uſq; repetenda (operationem prioris aliquamdiu ſemper expectando) donec æger quieſcat; tum enim ratione incertitudinis virium *Paregorici*, tum ex egrorum temperamenti varietate, illius operatio ſæpe anceps eſſe ſolet. Ex quorum itaq; ignorantia aut inadvertentia, *Medicus* exceſſum fugiendo, defectu, tanquam læviori crimine, ut plurimum peccat: Sed en quam fauſte, ſi enim vel una nocte metam *Paregorico* non attingat, *amiſſæ* quidem opportunitatis damna in morbo hoc ſæpe præciti vix reſarcire medicus poteſt: Cum ex vigiliis maxime poſt purgationem, *Orgaſmon* & *Tumultuum* caterva ingruens, *Febrem* mire intendit, quæ effrenis admodum evadens, ita ultra limites, ut coerciri non quæat, quandoq; furit & excurrit.

LXXXXV: Hoc præterea obſervandum eſt, quod poſt *Purgationem* in *Febribus* atq; fomitis morbi per ſedes evacuationem, copioſi ſæpe contingunt *Sudores*, morbum ſolventes, quatenus craſſioribus & viſcidioribus ſubtractis Humoribus, tenues fœlicius eliminantnr.

LXXXXVI, Atq; inſuper notandum eſt, uti obſer-

servat *Cl: D: Sydenhamius* in *Sched: Monit*, quod hæc Methodus purgandi aut *Febrem* omnino interimit, aut *Intermittentis typum* induere cogit, & tunc cito corticis *Peruviani* viribus cedit.

LXXXXVII. In curatione pariter *Febrium* per *purgationem* opportune observandum (quod etiam ad confirmationem *Hypotheseos* summe confert) a purgatione ægri sedes copioso viscido phlegmate semper refertas dejicere, magno etiam cum levamine; ex oris quoq; ablutione cum aqua solum frigida, ingentem *viscidi phlegmatis copiam* evacuare ægros solere, cum caloris interni subita insuper temperatione, & simili levamine: Quosdam enim febricitantes ad libras aliquot crassioris viscosiq; hujus humoris, uno die, hoc artificio per os excrevisse vidi.

LXXXXVIII. Licet in *contumacioribus Febribus*, ter aut sæpius repetitum *Catharticum*, vix remissionem notabilem adferat, repetenda nihilominus sunt *Cathartica*, donec dejectiones viscidæ appareant, sive ad *Febris* remissionem: Nisi in casu quo, ex nobilioris alicujus visceris interni Inflammatione, *Febris* pendeat, tum enim magis *Symptomatica* quam primaria *Febris* dici mæretur, quæ *Venesectionibus* prout vires ferant, interjectis simul *præcipitantibus* & *resolventibus* præcipue est tractanda.

LXXXXIX. In quibusdam etiam *Febribus* observatum est, quod neq; *Cathartica* neq; *Enemata* operationem aliquam habent: Periculosum sane signum; videtur enim pendere ex eo, quod *Natura* veluti extincta, *Purgationis* stimulis nequaquam excitatur.

C. Neve circa hanc *purgandi methodum* in *Febribus* dubium ullum ſit, cum *Diarhea Febrem*, uti frequenter accidit, comitatur: Experientia enim notum eſt, *Diarheam primariam*, *Catharticis* ſecure curari, multiplici ſimul experientia compertum eſt, *Diarheam* hanc *Symptomaticam*, *Purgatione* primo tolli, dein *Febrem* ipſam *Cathartico* cedere, expertus quoq; loquor.

CI. Indubie porro uti *Sydenhamius* etiam obſervat, plurima *Febrium* dira *Symptomata* ex methodo & regimine in ordine ad *Criſin* directo, plerumq; oriuntur: Quod clare pateat, tum penſitando quæ dicta ſunt, tum conſiderando, quot pericula in procinctu undiq; ſtent, in uſu *Methodi* ad *Criſin* collimantis: In *Intenſione* quippe ad *Criſin*, *Natura* ut plurimum ambigua & anceps hæret, num morbi exitus vita vel morte determinetur; ſæpe enim materiæ copia vel tenacitas, naturæ conatus fruſtrando, vel in nullam concoctionem, vel in concoctionem ſine excretione, rem terminare facit: Si ſummo tamen labore concoctionem *Natura* moliatur, excretio debita, per *Metaſtaſin* in alium morbum periculoſum, ſæpe intercipitur, *Materia* nempe *Morbifica* in *Nobile* aliquod *viſcus* internum effuſa: Cum *Methodus* hæc *Purgationis* ſingulis hiſce periculis & ambagibus non ſolitum libera, verum *morbum* in ovo plerumq; necans, *Tragœdias* ſolitas percurrere nunquam patitur.

CII. Hic inſuper opportune monendum eſt, hanc *Methodum Febres* per *Purgationem curandi*, intra limites unius conſtitutionis *febris* terminandam non eſſe, quaſi

quasi *ditionem* suam in omnes *Febres Continuas* non extenderet: Cum enim *Sagacissimus* ille *Author Sydenhamius ingeniosas* suas annorum *Constitutiones* ex natura *prototypo* delineaverit; cumq; varietatem priorum *Symptomatum* ac *Methodorum*, quæ curationi morborum cuidam *annorum seriei* contingunt, nomine variarum *constitutionum* ille indigitaverit; Varietatem illam morborum istarum constitutionum ad nihil aliud referebat, quam quod penderet ex *materiæ morbificæ copia*, sive *tenacitate*, Quæ *Concoctionem* & *Eliminationem* difficilem aut facilem efficeret: In illis itaq; annorum *Constitutionibus*, ad methodum *Criseos*, *Sydenhamius* collimatus, *morbos* secundum *genium* & *naturam Criseos* solum tractavit: Ille ergo cum respectu ad *curationes* per *Crisin* hasce *annorum Constitutiones* tantum discriminavit.

CIII. Ast in hac ultima *Constitutione*, de qua in *Sched: Monitoria* scribit, incidit in methodum, quam illi *Constitutioni* de qua tum scribebat propriam solum tunc opinatus est: Hanc tamen *Methodum* ulterius expendens, invenit eam ab omnibus aliis prioribus *Methodis* toto quidem cœlo differentem, nec eam esse *Methodum* in ordine ad *Crisin*, verum *morbum* omnino eradicantem, *Crisimq;* secure & commode intercipientem; ille igitur non sine ratione, eam omnibus omnino *Febribus continuis* (ut ab ipsius ore accepi) convenientem asseruit, atq; in *Sched.* ejus *Monitoria pag.* 62. *Eam* plerisq; etiam *Febribus* optime convenire ait. Neq; ea omnia quæ de hac methodo sentiebat, ibi referre illi visum fuit; quia *Constitutionum* suarum tam curiose concinnata-

rum, fabrica exinde rueret: Quod non parum ab illius authoritate ſubſtrahendo, cæteris illius ſcriptis utiliſſimis ſane multum derogaret.

CIV. Jam quod reliqua *Phænomena Febrium practica* attinet, *Juvantia*, ſcilicet & *Lædentia*, reſtat ut alia quædam *Juvantia* breviter attingamus, qualia ſunt *ſalia volatilia* & *fixa*, *teſtacea* & *concreta marina*, quæ ſecundum *celebriorum Authorum* conſenſum hic quoq; prodeſſe traduntur: Quantumvis veriſimile ſit, eorum uſum non prorſus eſſe tutum, ubi *Febris* copioſo ſcatet fomite, ſive ante *Evacuationem* eamq; debitam: Inquirendum nihilominus ſi horum operandi modus huic *Febrium Hypotheſi* ullo modo faveat.

CV. Ex ante dictis recolligendum eſt, *Sanguinis Craſin* duplice modo vitiari, atq; tot modis ejus *Circulationi* obices tarditatem *motus* inducentes, poni. *Primo* cum *Sanguinis Serum* licet debita *tenuitate* & *quantitate* conſtet, adeoq; ſit vehiculum ſatis idoneum *Globulis Sanguinis*, *Globuli* tamen aut in *numero* aut *mole* aut *figura* vitiantur: Quæ ſingula *vitia*, multo magis complicata, difficilem *Sanguinis* tranſitum per *anguſtos meatus* inducere apta nata ſint.

CVI. Alterum *Sanguinis* vitium videtur eſſe cum *Sanguinis* ſerum *viſciditate* peccat, quod *Sanguinis* motui *tarditatem* inducere etiam valeat. In priori caſu *ſalia fixa*, *alcalina*, *concreta*; *teſtacea* ſubtiliter pulveriſata, juvare opinor: Quia hæc omnia uti notum eſt, particulis ſumme *rigidis* & *ſcabroſis* conſtant, quorum minima quævis particula, hanc *figuram* & *conſiſtentiam* quocunq; vehitur ſemper ſervat,

vat, Quæ quidem *particulæ* cum *Sanguine* miſtæ,ac in *circulatione* cum eo agitatæ, inq; *Globulos Sanguinis* vitiatos & *ſcabroſos* impingentes, eos atterunt & poliunt; meatuſq; *humoribus* craſſis infarctos lævigant ac detergunt.

CVII. Verum quoad alterum *Sanguinis vitium*, *ſeri*, ſcilicet, *viſciditatem*: Inquirendum prius, in quo *viſciditas* illa conſiſtat: Videtur *viſciditas* gradus quidam de *fluiditate* in ſoliditatem declinans; cumq; fluiditas in continuo & actuali motu minimarum liquoris particularum conſiſtit, Viſciditas igitur ſupponit debitum motum aliquatenus imminutum: Atq; illud vel a principii illius *motus* debilitate, vel ab *ineptitudine* materiæ ad movendum, uti quid glutinoſum commixturæ habens: Præterea ſicuti certum eſt, *liquorum quietem* qui naturaliter moveri debent, eorum *viſcoſitati* maximopere conferre, ita liquorum viſcoſorum agitatio, eos tenues reddit, quatenus *particulis aeriis* agitatione immiſtis rarefiunt: Uti cernitur in *cereviſia viſcoſa*, quæ agitatione in vitro occluſo,*aeris* immiſtione, tenuis evadit: *Seri* quoq; *Sanguinis viſcoſitas* uti ex illius nimia *quiete* pendere videtur; Ita viciſſim illius *viſcoſitas*, illius etiam *quietem* parit, quatenus *Sanguinis* motui progreſſivo officit: Atq; ita hæc vitia ſeſe viciſſim generare & augere videntur: hæc vero *viſcoſitas* ſeu *ſeri motus inteſtini* defectus, originaliter pendere videtur, ex defectu *irradiationis ſpirituum* qui *diaphaneitatem*, *ſubtilitatem*, *motumq; inteſtinum* illi tribuant. Huic igitur *Seri* vitio conducere videntur, omnia illa quæ *particulis* ſumme *agilibus* &

pe-

penetrantibus conſtant, ſive quæ copioſos *ſpiritus* generant, aut generatis *ſtimulos* dant: Qualia ſunt *ſalia volatilia*, quæ hac de cauſa *viſcoſitatem omnem* attenuant, *meatuſq;* quaquaverſum deobſtruunt; ideoq; in *Febribus* proſunt; verum hæc cum moderamine equidem uſurpanda, ne ſtimulemus plus quam aperiamus, *meatuſve* patefaciamus, ſicq; *Spiritus* iſti nimium incitati, *ſcænas* illas *tumultuum*, quibus *Sanguis* hoc in caſu maximopere eſt pronus, excitet.

CVIII. Experientia longa compertum eſt, *Cucurbitularum* & *Hirudinum* uſum in *Febribus* prodeſſe, quorum *Phænomenon practicorum ætiologia* hanc etiam *Hypotheſin* omnino confirmare videtur, quippe hæ *Cucurbitulæ* variis corporis partibus applicatæ, cutim in finitimis locis elevando *Sanguinem* in *capillaribus* hæſitantem, etiam in motum denuo cogunt, quatenus, nempe, *Aer* cum *Sanguine* in *capillaribus* miſtus, *Aerem rarefactum* in vitro minoris reſiſtentiæ inveniens, protinus *dilatatur*, ſecumq; etiam *vaſa* illa *capillaria* dilatans, non ſolum *cutim* in vitrum irrumpere facit, verum etiam *Sanguinem* in vaſis anguſtiſq; *meatibus* circumjacentibus ſtagnantem, denuo in motum ciet.

CIX. Et ſimilis ſane effectus *Sanguiſugarum* applicationem comitari videtur: Hæ enim ex *Capillaribus Venis Sanguinem* haurientes, illius *ſtagnationem*, ac *quietem* & hæc etiam ſequentem *Coagulationem*, impediunt ac removent.

CX. Simili plane modo operari videntur *cutis frictiones*, quæ in *Febribus* utiles quoq; prædicantur, quip-

quippe hæ non modo poros aperiendo *Perſpirationi* ſubveniunt; Verum motu ultra citraq; *Sanguinem* in *Capillaribus* reſtitantem premunt & exagitant; atq; ita ſolutis *Sanguinis obſtructionibus* & *ſtagnationibus*, eum in motum denuo urgent. Quantumvis vix credatur *Frictionis* impreſſionem, ultra corporis ſuperficiem penetrare, in *Sanguinis* itaq; *maſſam* interniſve corporis partibus nullum aut debile *Frictiones* habere poſſe effectum; certum tamen eſt motum in corporibus ſolidis mire & ad magnam diſtantiam propagari; quanto magis in *liquidis* & *fluidis*, hiſce præſertim canalibus incluſis, longe lateq; motus diffundi poteſt?

CXI. Quoad *veſicatoria* in *Febribus* etiam proficua: Certum eſt ea *cuti* applicata, particulas quaſdam ſumme *volatiles* & *agiles Sanguinis maſſæ* impertiri, quæ illius *motui inteſtino* ſumme etiam conferant: Ut ex interno *Cantharidum* uſu inſuper conſtet, quo ita agitatur & attenuatur *Sanguis*, ut mictum *cruentum* ſtatim reddat patiens.

CXII. Jam quod *Lædentia* in *Febribus* attinet, hæc etiam debite penſitata, non minus quam cætera *Hypotheſin*, ut ſpero, firmabunt: Præter antedicta quæ *Febrem* generare eamve fovere ſolent, certum eſt *Sudores colliquantes*, quæ in plurimis *Febribus* accidunt, ſumme nocere; ideoq; ut *Sydenhamius* obſervat potius ſupprimendi, quam indulgendi: Hac de cauſa, ut opinor, hi enim *ſudores* ex eo fiunt, quod *ſerum Sanguinis* a *Globulis* ſecerni jugiter pronum videtur, ex quo *Sanguinis conſiſtentia* & *craſſities* augetur, illiuiq; ad *motum aptitudo* minuitur. *Sudores* vero *critici* & le-

levamen adferentes,raroq; in *diuturnis Febribus* contingentes,(a copioſo quippe & *viſcido fomite* in *primis viis* ſtagnante ſemper foventur) *Sudores* dico critici ex *perſpirabili retento* omnino proveniunt: Atq; uti hi *Sudores Naturæ* opus omnimodo ſunt,ita in *Febribus* ab arte ſtimulati,raro fauſte ſuccedunt: Veluti in *Sched: Monitoria* accurate obſervat & evincit *Experientiſſimus Sydenham.*

CXIII. Præterea ut ille *Author* tradit,& quotidiana pariter accurate obſervantium *Experientia* probatur, Continuus in *nudum lectum* decubitus *Febricitantibus* ſumme nocivus eſt: Hac maxime ut opinor de *Cauſa*, quod continuus *lecti calor*, *pororum tonum* & *Fibrarum firmitatem* enervare ſolet; ex quo *perſpirabile* eliminandum omnino ſupprimitur, unde in *Sanguine febricitantium*, *confuſiones* ac *tumultus* ulterius intenduntur: Sed per corporis moderatam interpoſitam *refrigerationem*, non ſolum *naturalis calor* ad *perſpirabile* expellendum arctius concentratur, verum etiam *pororum tonus*, ac *fibrarum firmitas*, *perſpirationis* eliminationi ſumme neceſſaria, hoc moderamine & evantilatione optime reparantur: Hoc probabilius quoq; videtur, quod *Sanctorii* in *Staticis ſuis Aphoriſmis* doctrinæ omnino conſentaneum eſt, præſertim *Sect.* 2. *Aphor:* 26. ubi ait *calorem internum nimium diffuſum nec ſatis concentratum & intenſum ad perſpirabile expellendum, uti in æſtivo calore contingit, corpori incommodum omnino eſſe: Atq; illud non propter vehementem aliquam impreſſionem in corpus factam, (quælibet enim corporis pars æſtivo aere eſt calidior) ſed quia calore externo non ſatis con-*

cen-

centratur calor internus, ad perſpirabile retentum eliminandum: In *Febribus* enim *caloris* interni vitium, ex hujus concentrationis defectu ortum, plurimis *Spirituum* motibus *indirectis* uti *refractionibus*, *reflectionibus*, *colliſionibus*, &c. anſam quoq; præbet, ut ante dictum eſt. *Continuus* etiam in nudum lectum *decubitus*, *calorem* iſtum foveat, qui colliquantes iſtos *Sudores* extorqueat, unde *Sanguinis conſiſtentia* & *craſſities*, ut dictum eſt, augeatur.

CXIV. Simili quoq; modo, noxam *Sanguinis circulationi* inferre videtur, in *Febribus Diarrhea* ſeu *Alvi fluxus*, periculoſum ſane, ſive *ſignum* ſive *ſymptoma* vocetur, hac, ſcilicet, ratione, quod pendeat aut ab obſtructione *venarum lactearum* aut ex *fibrarum inteſtinalium laxitate*, vel *facultate* uti vocant *retentrice* debilitata vel utroq;, unde ad *Sanguinem* diluendum & attenuandum ex *Inteſtinis* in *Venas* lacteas, potulenta ingeſta nequaquam propelluntur, ſed omnia pleno flumine per modum *Alvi fluxus* ſeu *Lienteriæ* ad anum deſcendunt: Unde *Sanguis materia* ſeri deprivatus, neceſſario incraſſatur, & in circulatione tardeſcit, illiuſq; *motus* tandem perimitur. Qui ſane affectus ut ante obſervatum commodiſſime per *Catharſin* primo curatur & dein ipſa *Febris*: Uti multiplici experientia compertum habeo.

CXV. Si dubium aliquod circa hanc *Hypotheſin* adhuc reſtet, ex eo, quod *Sanguis* priuſquam ad corporis habitum & extrema perveniat, per *pulmones* circulatus ibiq; velut colatus, nulla in anguſtis *pulmonis* meatibus, tardioris aut difficilioris motus in-

dicia præbeat: Huic dubio ut satisfiat, notandum est, *Pulmones* non solum *Sanguinis* esse *colatorium*, ac illius debitæ attenuationis examen ac indicem; verum etiam attritionis & lævigationis *Sanguinis* principale quidem *instrumentum*, cui etiam ultimum complementum ac perfectionem tribuunt: Continua enim agitatione, & in vasis *Pulmonis* concussione (motu nempe eorum *contrahente* & *dilatante Cordis* motui vicissem occurrenti & opposito) maxime attenuatur, cumq; *Aere* intime commiscetur *Sanguis*, ut ante dictum est, & sic perfectionem adipiscitur.

CXVI. In casu itaq; *Febris* quamvis *Sanguinis globuli* crassiores ac particulæ viscidiores, ex *Venis* per Cor ad *Pulmones* redeuntes, rursum comminuantur & atterantur, & levia crassitiei indicia *Pulmonibus* infligant, Cum enim *Pulmones* Cordi sunt proximi ac contermini, motu *Cordis* vegeto per horum vasa *Sanguis* vigetius propellitur, perq; ramificationes angustas & innumeras derivatur, cum ipsi etiam *Pulmones* contractionis ac dilatationis motu continuo potiantur, qui motus *Sanguinis* quoq; attenuationi summe conferunt, Hic tamen *Sanguis* ad *Arteriarum* extremitates in corporis habitu appulsus, ubi *Cordis* & *Arteriarum* vis *pulsifica* valde minuitur languescitque, tum necessario crassior ille *Sanguis* tardescit ac fatiscit.

CXVII. In plurimis insuper *Febribus* iisq; valde periculosis, *Sanguinis* illa tarditas, in illius *difficili* ac *tardo* per *Pulmones* motu, clare conspicitur: Frequentem, *anhelosam*, & *altam respirationem* ibi excitando.

CXVIII.

CXVIII. *Pthiſis* demum *pulmonum*, cum *Febrilibus exacerbationibus* aliquot horas poſt cibum, eo ſcilicet tempore quo *Chilus Sanguinem* appulit, non parum hanc *Febrium Hypotheſin* etiam firmat: Quia *Chilus* cum *Sanguine* in *Pulmones* adveniens, dum hi *tumoribus* in glandulis (uti in *Pthiſi* notum eſt) afficiuntur, tum *Pulmones* in ſubigando & comminuendo *Sanguine* deficiunt. Plurimæ igitur illius particulæ non ſatis lævigatæ, ad extremitates *Arteriarum* pervenientes, per anguſtos iſtos meatus difficulter & tarde tranſeunt; *Febris* ideo, cum *frequentia* quoq; *Pulſu* excitatur, quæ etiam durare ſolet, donec repetitis per has *anguſtias* tranſitibus, particulæ illæ *craſſiores ſanguinis* lævigentur ac poliantur: Atq; eodem fere modo & ratione accidunt paroxiſmi illi rigoris & caloris febriles periodice redeuntes in *ulcere pulmonum* confirmato, hoc enim in caſu pus ab ulcere manans, & *Sanguini* commiſtum, meatus anguſtos inter *Arterias* & *Venas* obſidit & infarcit, ex quo circuitus *Sanguinis* tarditas efficitur, donec ſuperatis iſtis obſtaculis, repetitus *Sanguinis* circuitus hos canales repurgaverit & polierit.

CXIX. Si quis præterea opinabitur hanc *Sanguinis craſſitiem*, *tumores* potius, quam *Febres* producere aptam natam eſſe; *Febres* ſane & *Inflammationes* opinor illud quidem habere commune, quod ſimul ſæpe generari ſolent: *Febres* etiam ex *Tumoribus* & *Inflammationibus* plerumq; pendent; uti *tumores* & *inflammationes*, *Febres* ſæpe conſequuntur, quod eos quoad cauſam valde affines eſſe indicat: In hoc tamen differre videntur, quod *Febres* ex univerſa (quan-

tumvis minore) *Sanguinis craſſitie* fiant, quæ *difficilem* illius *tranſitum* per ſingulos corporis anguſtos *meatus* producit: *Tumores* vero & *Inflammationes* a majore *craſſitie* in particulari *vaſi*, perſæpe etiam a compreſſione generantur, ſaltem propagantur augenturque: Forſitan etiam eſt, particularum humorum inepta aut perverſa configuratio, in relatione ad Poros & ductus *vaſorum*, quæ illa obſtruendo *ſtagnationem* ibi creant; quæ *ſtagnatio* continuo novi liquoris appulſu incrementum ſumens, *meatus* conterminos etiam premit, & ibi etiam *ſtagnationem* efficit: Hi vero *meatus* alios ſibi vicinos premunt, atq; ita longe lateq; diffunditur *tumor* & *obſtructio*, quæ ſolum in puncto cæpit, activitatiſq; ſuæ *ſphera* in vicinium circumfertur: Uti in carnis punctura cernitur, quæ *vicinos canales* comprimendo *ſtagnationem Sanguinis* in iis primum efficit, quæ *ſtagnatio vicinium* ſimiliter comprimens, *tumorem* propagat, atq; ſic deinceps donec *compreſſio* gradatim minuta, vim ſuam amittit. Harum ideoq; *ſtagnationum* ac *tumorum* optimum remedium videntur illa omnia, quæ calcaria ſpiritibus addant, *viſcoſitatem* idcirco attenuant, ut *ſalia volatilia*: Illaq; etiam omnia quæ *craſſos humores* atterunt, uti *ſalia fixa teſtaceaq; concreta*, quæ interne uſurpata, *tumorum* quoq; ſunt diſſolventia. Veluti etiam impuritates quæ veſtimentis adhærent, quæq; ex ſudoribus & *perſpirationis* materia generantur, nulli aliæ *rei* cedunt, niſi *ſmegmaticis mixturis*, ex *ſale*, ſcilicet, *fixo* compoſitis. *Coagulationes* ſimiliter opinor, intra corpus ex *perſpi-*

ra-

rabili retento generatas, hiſce etiam interne uſurpatis facile quoq; diſſipari.

CXX. Et ſane *humorum craſſities* & *viſcoſitas*, *obſtructioq;* ex iis pendens, vim eam habere videtur, ut non ſolum *Febres* verum plurimos etiam morbos *chronicos* producat, ſed *typorum* varietas qua ſignantur *morbi*, uti vel a gradu *craſſitiei* & *obſtructionis*, vel a partis *organive* natura *affecti* provenit; ita ex *impreſſione* in *impellens* facta illiuſve *diſpoſitione* pendeat; quæ ſive *irritationem* ſive *ſolum languorem* & *merorem* excitet. Atq; in *Febribus* quantumvis a præſente *diſpoſitione impellens* plerumq; irritatum ſit, *cauſamq; morbi* excutere contendat, ex alia tamen *diſpoſitione* in *morbis chronicis* minus commovetur *Impellens*, & ſub invaſione onereq; gemit & languet, potius quam irritatur *Impellens*: Ex una eademq; etenim *cauſa occaſionali*, diverſa hæc effecta in *corpore naturali* oriuntur; uti in *corpore politico* ex eadem cauſa occaſionali divetſi ſimiliter effectus ſequuntur. *Tyrannis* enim ſeu *regimen arbitrarium* in *magnanimum* & *fortem gentem* exercitatum, bellum excitare ſolet: Tale vero *regimen* in populum *ſervilem* & *mollem*, *languorem*, *inopiam* & *depopulationem* ſolum parit: Similitudo etiam adhuc ulterius deduci queat; veluti enim bello domeſtico *Tyrannis*, *populiq;* *oppreſſio* ſæpe excutitur, atq; *Gens* exinde in *vigetum* & *florentem ſtatum* tandem reducitur; Ita in *Corpore Naturali*, *morbi chronici*, ſuperveniente *Febre* plerumque ſolvuntur, corpuſq; ad ſaniorem ſtatum pervenit.

CXXI. Animadvertendum ſedulo eſt, ſi ea quæ hactenus dicta de *Sanguinis circulationis tarditate in*

Fe-

Febribus continuis vera ſint, in graviſſimo tum & periculoſiſſimo errore hos verſari, qui contrariam opinionem tuentur, Opinantes, ſcilicet, *Sanguinem* in *Febribus* rapidius moveri, illiuſve *circulationem* velocius perfici: Cum enim *Sanguinis circulatio* in naturali, & ſanitatis ſtatu, tam mirandum ac ſtupendum ſit, ut vix concipi queat, quin animus mire torqueatur ad diſtincte comprehendendum, qui in tantillo temporis ſpatio, ſexta, ſcilicet, (uti refert *Lowerus*) horæ partæ, per anguſtos hoſce *Meandros Sanguis* totus circularetur: Atq; idcirco *Sanguinis circulatio* a pleriſq; diu oppoſita fuit, quia eam impoſſibilem exiſtimarunt, quid tum replicarent hi adverſarii, ſi eum *velociorem* & *rapidiorem* audirent. Verum uti, hujus admirabilis & ſtupendi *motus* velocitas aucta incomprehenſibilis omnino videtur; ita quam facillime hic *motus* diminutus concipi poteſt.

CXXII. Hic quoq; præterea *Circulationis auctæ* error, non ſolum *Theoria* falſa & inepta eſt, ſed ſummi inſuper momenti & periculi: *Artificem* enim proh dolor! in *methodos* periculoſiſſimas impellit: inq; praxeos *Errores* funeſtiſſimos præcipitat. Huic etenim *motui* in quo *vita* conſiſtit (jam nimis fatiſcenti illaqueatoq;) obices plures ac repagula majora imponere, *Medicus* cogitur.

CXXIII. Per multa licet ſæcula *Sanguinis* illa *Circulatio* in tenebris latuerit, diu ea tamen inventa, contraverſia fuit, quippe quamvis *Medicinæ theoriam* ornaret, illius tamen *praxi*, emolumenti nil adferebat

CXXIV.

CXXIV. Verum enimvero, per jam allatam *Febrium theoriam, Sanguinis circulatio* hac contumelia optime liberatur: Hæc quippe *Theoria, Sanguinis* hunc motum *læſum,* ſive illius ex difficili *Circulatione* tarditatem,eamq; ex *Sanguinis* craſſitie,aut *coangustatione canalium* pendentem, proximam eſſe *cauſam Febrium,* clare evincit. Cum inſuper hæc *Theoria* ſimul enucleat, quo *cauſarum* ordine ac concatenatione, *cauſa* hæc proxima foveatur; quot precor? *Indicationes* ſolidæ & fructuoſæ, in tenebris omnino prius latitantes,exinde promi poſſunt; maxime quidem, cum hiſce *Indicationibus* ſatisfaciendis, media idonea non deſint, ad haſce nimirum *cauſas,* deſtincte etiam hic delineatas, pro re nata ſiue corrigendum, ſive intercipiendum aut averucanndum, Non obſtante etiam laude ac admiratione, *Sanguinis* circulationis inventioni merito tributa,Hæc tamen *Theoria* ante deſcripta, *inventionem* illam tantum excellere videtur, quantum res ſumme utiles atq; fructuoſæ, mere *curioſis* ac *Theoreticis* præſtare videntur.

APPENDIX

De Obſervationibus quibuſdam Praxeos curandi *Febres* per *Cathartica.*

FAtendum eſt, omnem in *Medicina Theoriam*, quantumvis ingenioſe concinnatam, quæ tamen nulla ſolida innitatur *Praxi*, illive viam commonſtret, ſolum eſſe facinantem & eluſoriam;atq; practicantes inter operandum (veluti ignes fatui ſolent viatores) in periculoſas & devias ſemitas deducentem.

Uti igitur hanc *Praxin* ſeu *Methodum* curandi *Febres* per *Cathartica*, tam utilem & fœlicem comperi,ut ex multis ægris per octennium elapſum a me tractatis, non ſolum vix perierit unus, verum etiam (uti in aliis methodis ſæpe evenit) ſine *Metaſtaſi* ſeu *Febris tranſlatione* in alium morbum,curati fuerint; opinor inſuper hanc *Praxin* tum fore fundamentum huic *Theoriæ* inconcuſſum & adæquatum, tum hanc *Theoriam* diſtincte delineatam, & menti *practicantium* clare inſculptam, *praxi* huic in *caſibus* ſcilicet diffralioribus dirigendæ, lucem haud parvam, omnino allaturam.

In ſtudioſorum pariter gratiam, non abs re fore ſpero, caſus aliquot ſive exempla hujus *Praxeos* notabiliora adjicere, quæ hanc *Curam* aggreſſuris veluti *Exemplaria* conſtent.

Ca-

CASUS Primus.

Mulier quædam generosa, circiter annos triginta nata, *habitus* quoq; gracilis & *temperamenti* delicatuli, quæq; duodecim enixa fuerat liberos, secundo ab ultimo *puerperio* mense, post nimis longam in aere humido & frigido, pedibus etiam madefactis, versationem, rigore corripitur, cui denuo successit *calor*, atq; ita leniter per quatriduum *febricitavit*, noctes transigendo insomnes; die 5to. vocatus inveni pulsum valde frequentem, cum *calore* urente, dolore *capitis*, *siti*, *vomituritione* & aliis *Febris symptomatis* absq; remissione: Cum suppressæ fuissent ab ultimo *puerperio menses*, statim fit *Venesectio* in pede, sequente mane sequens *Catharticum* administratum; R. *Tamarind. Tartar. aa.* ʒiij coq: in suff. q. aq: font. ad rem: *unc.* iiij in colatura fervente infunde per noctem *fol: sen:* ʒiij colaturæ mane adde *syr: ros. pal. unc: i. aq. cinam.* ʒij. fiat *potio*, ex qua *Dejectiones* sex aut septem habuit, magis stercorosas quam *viscosas*; nocte *Paregoricum* sequens sumpsit. R. *Aq. ceras. nigr. unc. i. aq. cinam.* sine *vino unc.* s. *Laudan. liquid:* gutt. xii. pro una *dosi*. Hac nocte aliquantulum dormivit, *Febris* sequente mane aliquatenus remissa; Quo die singulis duabus horis sumpsit cochleare sequentis misturæ R. *Aq. ceras: nigr: unc: i. aq. ment: ros: ar. unc: sem. syr. garyophil.* ʒiij: *oculi Cancr. pp.* ʒi *spt sal: armon* gutt x, misce, versus noctem exacerbabatur *Febris* cum vigiliis ea nocte, sequente igitur mane prædicta *potio* repetita fuit, quam statim vomitu rejecit, protenus ideoq; adhibetur

Tinctur. Jalap. 3*j* quæ cum minimæ esset molis, a *stomacho vomituritione* affecto neutiquam rejiciebatur; ex ea *septies* aut *octies* cum *Euphoria* dejecit; atq; *sedes* magis *viscosas* quam priore die: Nocte *Paregoricum* hausit & dormivit, sequente mane *remissionem* passa est, administratis præcedentis *misturæ* cochlearibus dictis intervallis, intermittitur per biduum *purgatio*; tam gravis interea *tendinum* per totum corpus *Subsultus* invasit, ut continuo veluti contremiscceret, periculosum licet illud sit symptoma, autoritate tamen *Sydenhami* suffultus, qui in hoc casu *purgationem* etiam præscribit in *Sched. Monit.* repetitur igitur sequente die altera *Tincturæ dosis*, ex qua *septies* aut *octies* dejecit, & sedes habuit tum *copiosas* tum *viscidas*. Nocte *Paregorico* exhibito placide dormivit, sequente mane *Tendinum Subsultus* multum imminutus: Continuato prædictæ *misturæ* usu per dies insequentes: Dein quarto morbi die e lecto sublata, superq; grabatum per aliquot horas jacens, magnum caloris interni, qui per totum morbi decursum illi gravis fuerat, temperamen sentiebat; in lecto denuo reposita, per plures horas tranquille dormivit; & cum omnium *symptomatum remissione* notabili expergefacta est; circa 17 *morbi* diem, licet *Febris* & *Symptomatim* minuta, mane tamen reperta est in *Paroxismum* veluti *Comatosum* delapsa, cum *stupore*, in qua insensilis videbatur, quamvis vigilans; *Pulsus* interea satis constabat, *stupor* vero indies minuebatur, atq; ita lente convaluit: ad convalescentiam vero subveniendam, imbecillima licet fuerat; *quarta* ex eadem *Tinctura Purgativa*

et

exhibita, cujus ope priſtinæ ſanitati ſenſim reſtituta erat.

Obſervandum per totum *morbi* decurſum, ipſi gravem fuiſſe ingentem *aurium ſonitum*, quem *tympanorum* ſonitum referre dicebat: Et verſus morbi declinationem, oris collutione cum frigida, magnam copiam *phlegmatis viſcoſi* excrevit, licet in *morbi* ſtatu eadem collutione, parum aut nihil expuerit.

Notandum etiam, quod poſt ſingulas *Purgationes*, ſequente mane a ſomno, *Pandiculationes* ſeu *artuum Expanſiones* ſupervenere: Quod optimum quidem prædicatur *ſignum* a *Sanctorio* in *ſtat. Sect.* 4. *Aphor:* 32 Remiſſionem quoq; notabilem nullam cernere erat, niſi diebus purgationem immediate ſequentibus.

CASUS Secundus.

Juvenis quidam Illuſtris & Nobilis, recidivum *Febris* abſq; *remiſſione* paſſus; cum *vigiliis*, *ſiti* immani, *tuſſi*, *continua vomituritione*, *inappetentia* totali, cum frequente etiam *Animi diliquio*, (vix enim elevaretur *Caput* ad aliquid hauriendum quin animi diliquium ſubierit) cum extrema inſuper imbecillitate, & macie, ut qui pridem & in ſanitate *Euſarcos* fuerat, inſtar *Sceleti* tunc apparuerit.

Si unquam fuerit *Caſus*, qui hujus *methodi* uſum reſpuere videretur hic erat, nihilominus aliorum *Medicorum* mihi adjunctorum concilio ſequente *Methodo curatus* fuerat, primo *Veneſectione* in *Brachio* ad *unc:* vii, die ſequente ad *purgandum Bolus* adminiſtratus, quem ſtatim vomitu rejecit, ut & etiam *potiones* & *pilulas purgantes*, *tincturæ* vero *jalapi doſin*

adminiſtratam retinuit, cujus *operatione* copioſas & frequentes *ſedes phlegmate* viſcoſo omnino refertas excrevit; nocte *Paregoricum* admiſſum, die ſequente *Symptomata* multum imminuta; poſt ſecundam *Tincturæ doſin*, quæ ſimilem copiam *phlegmatis* viſcoſi eduxit, & *Paregoricum* nocte adhibitum, *Febris* & *Symptomata* fere evanuere: Atq; ita ſenſim convaluit, *Titillatione* & *Pruritu* totam corporis ſuperficiem occupante, quæ cum vitium reparatione ſenſim quoq; diſcedere.

CASUS Tertius.

Adoleſcens quidam *Febre continua* abſq; *remiſſione* corripitur, *rigore* & *calore* alternatim in initio affligentibus; die quarto *diliravit* & *ſtupore* afficiebatur, cum ſumma *imbecillitate*, oculi erant turbidi, & faciei forma multum illi immutata, interloquendum *balbutiebat*, *Lingua ſicca, nigra, fiſſa*, *Sitis* magna, *Pulſus* frequens, *Oblivio* pene totalis, *Anhelatio* magna; quandoq; etiam *Viſus* diminutio; die quarto *Morbi* fit *Veneſectio*; die ſexto cæpit *potionem purgantem* in prima obſervatione præſcriptam, quæ repetita etiam eſt die ſeptimo & nono, cujus *operatione* ſingulis diebus ſedes copioſas *phlegmate refertas* dejecit: Quavis nocte *Paregoricum* exhibitum eſt, nocte vero nona omittitur *Paregoricum*: Initio licet noctis ſat bene quieſcere videbatur, in illius tamen progreſſu *inquietudine*, *anxietate* & *ægritudine* magna corripitur, quo tempore *ſexies* etiam dejecit; in ultima dejectione *Sanguinem* excrevit cum magno *Inteſtinorum* cruciatu: Hiſce urgentibus ſtatim adhibetur *Paregoricum*, per quod reliquum noctis quiete

quiete dormivit, & mane optime ſe habuit; poſt meridiem vero *ægritudinis paroxiſmus* cum *anhelatione* invaſit, qui poſt aliquot horas ſomno ſedabatur, quo tempore *Urina* erat cruda, hic paroxiſmus rediit periodice ſequentibus diebus, quem iterato cathartico curare aggreſſurus fueram, poſt exhibitum vero *Catharticum* ejus operatio accidente dicto paroxiſmo omnino ſiſtebatur: Tum opinabar morbum ad naturam *intermittentis* accedere, & *corticem Peruvianam* ratione dicti paroxiſmi periodice redeuntis indicari, Cujus *tribus doſibus*, ante ſequentis diei *paroxiſmum* adhibitis, multum imminuebatur ſubſequens *Paroxiſmus*: Cito poſthac convaluit & viribus reſtituus eſt.

Licet in quamplurimis *Febribus purgatio* adminiſtrari queat, abſq; ſubſequente *paregorici* uſu, quandoq; tamen (ut in hoc caſu) *paregorici* omiſſio, vel una nocte, ægro poſſit eſſe exitialis: Cum nempe ſymptomata ingruentia, quæ *Paregorico* ſedari certiſſime poſſent, mire *Febrem* intendant, & funeſtiſſima *ſymptomata* tandem accerſant.

CASUS Quartus.

Adoleſcentula quædam in *conſtitutione Epidemica* incidit in *Febrem Continuam* abſq; *remiſſione*, cum *Vertigine*, *Capitis* dolore, *Pulſu frequente* & *debili*, *Lingua ſicca*, *fiſſa*, *nigra*, cum ſumma *imbecillitate*, & *Delirio*, & totali inappetentia, &c.

Die ſecundo morbi fit *Veneſectio* in brachio, dein leniente *Cathartico* purgatur, die quinto & ſexto lenientibus etiam *Catharticis* ob *Pulſus* imbecillitatem pur-

purgata est, pauca vero *materia viscosa* in sedibus erat; die nono ob *dilirium* intensius *Vesicatorium nuchæ* applicatur: Ea nocte Famula gravi errore, eam sponte sudantem stragulis multis onerabat; ut sudorem copiosum extorqueret, ad morbi *Crisin*, ut vulgo creditur, procurandam, potu etiam callido in eundem finem exhibito, ex quo patiens per totam noctem querebatur se sudore & debilitate suffocari & extingui: Ego accersitus eam inveni *sudoribus* defluentem, cum *Anhelatione* & *Dyspnea* magna, *Pulsu* valde *frequenti* & *debili*, fere quidem *formicante*, adstantes certe putarunt eam in *agone* mortis versantem; Detractis vero gradatim stragulis, *Symptomata* paulatim remisere: Die vero sequente *Febris* gravior quam pridem eam urgebat, sequente igitur mane *purgatio* prioribus fortior administratur, cujus operationis tempore e lecto surrexit, & vestita per duas horas sedens, frigus ægre ferebat, qua de causa in lectum denuo reposita cum linteorum frigus ei fuerat etiam molestum, ope *Thermoclinii* lectus calefiebat, cujus nimio calore (secum enim illud in lecto tenuerat) *calor* magnus subito totum Corpus occupavit, cum *Febris* etiam incremento, & molestis aliis *symptomatis*, atq; etiam *Cathartici* operatio in totum sistitur. Quorum omnium causa fuisse opinor, subitam hanc defrigore in calorem mutationem, adhibitis vero simplicis *misturæ* sequentis cochlearibus aliquot omnia remissa: ℞. *Aq: rosar. ceras. nigri. menth. aa. unc.* 1. *Syr. caryophil. unc.* ½ *cucul. cancri. pp* ʒij *spi. sal: armon:* gutt. xx vel xxx: Cujus cæpit cochlear unum sæpius urgentibus *anxietate, animi di-*

li-

liquio, aut *ægritudine*, ſive tempore operationis *Cathartici* ſive extra; levamen & inde confecutum eſt.

Oris quoq; collutio cum *frigida* in hiſce paroxiſmis mire profuit, inde enim non ſolum interni caloris *temperamen* ſentiebat, ſed etiam copioſum *phlegma viſcoſum* excrevit. Sequente die adminiſtrata eſt quinta *Purgatio*, qua ter aut quater dejecit; accedente vero dicto ægritudinis *paroxiſmo*, prorſus ſiſtebatur. Gravis mihi fuerat hæſitatio, de ulteriore *Catharticorum* exhibitione propter patientis imbecillita. tem: verum ſuſpicatus *humorum ſaburram* commotam & non eductam, dictos excitaſſe *paroxiſmos*, ideo licet debiliſſima cenſebatur, die decimo tertio morbi *Cathartic*um prioribus duplo fortius adminiſtrabatur; idq; hora quinta mane, ut illius operatio ante dicti *Paroxiſmi* acceſſum abſolveretur: ex *Cathartico* vero ter tantum dejecit, ante adventum dicti *Paroxiſmi*, in ſedibus copioſam pituitam viſcoſam excrevit, adhibitis præcedentis *miſturæ ſimplicis* Cochlearibus aliquot; Somnus per 2 horas ſupervenit, ex quo *Paroxiſmi* remiſſio, & *Cathartici* operatio denuo redintegrata, ſedes inde illi quinq; phlegmate copioſo ſcatentes; hora noctis octava, alter *ægritudinis Paroxiſmus* præcedentibus gravior iterum invaſit *Volatilibus* & *Paregorico* fruſtra exhibitis, Juſculi tamen calentis hauſtu, & *Oris* cum frigida *collutione* ſupervenit ſomnus per duas horas, & tranquille experrecta eſt. Hac nocte exhibito *Paregorico* in doſi ſolito majori, per noctem placate dormivit, & mane reperta eſt cum magna omnium *remiſſione*, & *maculis rubris* per brachiorum cutem eruptis, cum *pruritu* etiam moleſto

per

per totam corporis superficiem, qui progressu convalescentiæ in *scabiem* concrevit, genuum quoq; *dolor* illi tam gravis fuerat, ut præ illius vehementia sæpe exclamaverit.

Pulsus toto tempore morbi mediocriter constabat.

Quavis nocte sive *purgata* sive non exhibetur *Paregoricum*, Somno quippe & quiete remissa fuere omnia symptomata, *vigiliis* vero aut *inquietudine* omnia exacerbabantur; cum profundius *diliraverat* detractis aliquot lecti stragulis *delirium* remitti solebat.

Oris solum cum frigida collutione sæpius in die repetita, mirum quantum *Phlegmatis* viscosi excreverit, quo *anxietates* & *ægritudines* &c. confestim sedatæ. Post singulas *Purgationes urinam* ut plurimum rēddidit *concoctam*, quæ cito tamen in crudam commutabatur, donec *Purgatio* altera superveniens, eam denuo coctam effecerit. Atq; id sæpissime evenit in hujus *Methodi* usu.

Notandum quod in hac *Methodo*, uti in præsenti casu evenit; Diaphoreses aut Eruptiones *criticæ* morbum integre solventes, quandoq; contingunt, Quatenus nempe materia morbifica magis subtilis a viscosiore liberata, ad corporis superficiem facilius propellitur; veluti etiam *criticæ Eruptiones*, quæ hujus *Methodi* usum sequuntur, siquando contingunt, faciliores semper & leviores sunt. Ita post hujus *Methodi* usum, *Febrem* per *translationem* in alium *morbum* terminare nunquam conspexi, ut in aliis *Methodis* sæpe evenire notum est.

Cæ-

CASUS Quintus.

Mulier quædam gravida, circa *noni menſis* initium, *Febre epidemica*, abſq; remiſſione corripitur, erat etiam *temperamenti* & *habitus* tenerioris: *Febris* initio cum *ægritudine* & ſolitis *Syptomatis* adeo exacerbabatur, ut ſibi ipſi, & aſtantibus viſa ſit, vix poſſe plures tranſigere horas: Vocatus ego, opinatus fui eam partus dolores nequaquam poſſe ferre, ſi huic gravi morbo ſupervenerint; ſed juncto utriuſq; impetui eam certiſſime ſuccumbere. In hiſce igitur anguſtiis, *Febrem* quam primum demulcendam autumavi, quod nullo modo tam prompte poſſe fieri, quam purgatione: Bibebat igitur juſculum *purgans* per noctem ad ſitim reſtringendam, ex quo ſequente die ſæpius dejecit, & nocte *Paregoricum* adhibetur, proximo die *Febris* & *Symptomata* adeo remiſſa, ut ſibi ipſi, & aſtantibus ferme curata viſa fuit: Recrudeſcente vero *Febre*, ſed mitiore quam pridem, poſt duos dies *partus* dolores atrociores ſupervenere, & partum enixa eſt viventem: Poſt partum in maximo licet conſtituta fuerit diſcrimine, nulla tamen alia *methodo* tractata curabatur, quam *Paregorico* qualibet nocte, in moderata ſolum doſi exhibito, (ne ſiſterentur *Lochia* parce ſatis fluentia) ex quo noctes tranſegit ſaltem quietas, licet inſomnes: Et *mixtura* ex aquis *cordialibus temperatioribus*, cum *teſtaceis* ſingulis duabus horis cochleatim adminiſtrata.

Plus quam probabile eſt, hanc ægram, quæ ægre ſemper a puerperiis prioribus convaleſcere ſolebat,

vix superstitem fore, si *Febri* tam gravi *partus dolores* supervenissent. *Febris* ideoq; saltem remissio, hoc in casu indicari omnino videbatur: Idq; confestim, in hoc nempe præcipiti casu, atq; id nullo alio medio præstari potuisse opinabar, quam *Purgatione* prout ægra ferre potuerat, nec spem fefellit effectus.

Notandum est, quod licet hæc ægra post *Paregoricum* vix dormiverit, illius tamen usus illi summe fuerat utilis præsertim post purgationem, quatenus ægra ab inquietudine & jactatione exinde muniebatur: Quæ symptomata in *Febribus* summe nocent, quia perspirabilis eliminationi obstant: Juxta *Sanctorium Sect.* 4. *Aph.* 13. *Sect.* 5. *Aph.* 14

Quamplurimas alias observationes hic adjicere potueram, nisi grave foret Lectori omnes fere easdem reperire.

In charissimis quoq; meis liberis, DEO benedicente, hujus *Methodi* beneficium, vicies ni fallor expertus sum, licet *Febribus* summi etiam gradus, quandoq; laborabant: Quod non modo hujus *Methodi* efficaciam, sed illam insuper esse tutissimam evincere possit.

Animadvertendum est interea quod quæcunq; de *Cathartcorum* in *Febribus* efficacia prædicantur, de *Emeticis* etiam administrandis quodammodo vera esse: In facile insuper vomentibus, præsertim in morbi initio, plus præstare poterit, *Emeticum* unum exhibitum, quam *Cathartica* plura repetita: Præter enim *Saburræ* humorum *evacuationem* ab *Emetico* factam, insignis insuper *concussio Fibrarum vasorum* & *viscerum*, ab eo concitatur; qua certe solvuntur om-

omnes *Canalium* anguſtorum *Coagulationes* & *Infarctiones*, atq; ita *Sanguini* & *Humoribus* debitus conciliatur *motus* & *circuitus*.

Monendus eſt inſuper *Medicinæ* ſtudioſus, ne huic *Methodo*, quantumvis alias efficaciſſimæ, nimium fidat in *Febribus Symptomaticis* ex *Inflamationibus*, ſcilicet *Viſcerum* internorum ſive ex *vulneribus*, *pendentibus*; Aut in *Febribus* cum gravibus aliis morbis complicatis; Neq; eam tentet in *puerperarum* aut *indentitionum* infantum *Febribus*; ſicuti monuit *Cl: Sydenham*: in *Sched. Monit.*

Neq; hæc cura aggredienda eſt, in vere *Agonizantibus* & morti *præcipitantibus*, licet ego ægros qui aſtantibus *agonizare* videbantur aliquando hac *Methodo* liberavi; Mors enim quandoq; clanculum & ex inſidiis aggreditur. Ubi igitur res aliquatenus dubia videatur, non ad hanc *Curam* ſe accingat *Medicus*, priuſquam morbi naturam & motum probe exploratum habeat. Hac quoq; de cauſa, huic *Methodo* vix datur locus in *Febribus peracutis*, quæ curſu *perveloci* ad *exitum* percurrunt, cujuſmodi opinor *Peſtem* etiam eſſe. Caute igitur obſervandum ante hujus *Methodi* uſum, ſi *vires* ægro non conſtent, num *humorum* onere ſint oppreſſæ, quo in caſu hæc *Methodus* certiſſime indicatur: Num magnis *Evacuationibus*, longis *vigiliis*, *inedia*, *vehementibus doloribus* & ejuſmodi, *vires* ſint exhauſtæ, tunc hæc *Methodus* ſaltem permittitur, pro ratione ſcilicet aliarum *circumſtantiarum*: Num deniq; *vires* ſint extinctæ, cum nempe initio & ſubito abſq; manifeſta etiam cauſa proſtrantur: Hic ſtatus ut plu-

rimum *Cerebrum* Phlogoſi aut Inflammatione affectum, aut *Sanguinis in ventriculis extravaſationem* ſignificat: Et cum *Pulſu frequente, debili* & *parvo* ut plurimum in initio copulatur: Hoc quoq; in caſu *Cathartica* ſive per os, ſive per *Enemata* adhibita parvam aut nullam operationem edunt.

Monendus deniq; eſt junior *Practicus*, in hac cura aggredienda, in periculoſioribus præſertim *Febribus*, ut, ægrum ſæpe inviſendo, tanquam fidelis *Rector curæ* ſuſceptæ diligenter præſideat: Ad *Symptomata* nimirum ſupervenientia tempeſtive coercendum: Cum enim occaſio hic plerumq; præceps, neglecta revocari non poterit, & quæ fronte capillata cito poſt calva evadit; ad *Symptomata* hæc periculoſa confeſtim ſedanda plurimum proſunt, ut ſuperius monſtratur, *Cardinalia* illa armenta, *Paregoricum* & *Salia volatilia*, quæ prudenti præſertim manu adminiſtrata, in hiſce caſibus quantum in *Navi gubernaculum* præſtare valent, non interim neglecto *caloris* & *frigoris* debito *regimine*; de quo conſule *Sanctorium* in *Medicina Statica Sect.* prima.

Equidem in ea opinione ſemper ſum, *Medicorum* ommiſſiones in quantum præſertim ægro fatales ſint, æque ac commiſſionis errores, ſeu poſitiva perpetrata eſſe culpabiles. Qui enim ex vano timore, ne ſcilicet ægrum lædat, huic pereunti ſuccurrere negligit, non minus quidem peccat, quam ſi eum *Pharmaco* necaſſet, cum nimirum artis præſidia ægro auxilium promittentia detecta ſunt: Uti hac nova *Methodo* plurimos ægros hic nuper mortuos ſalvos

tuiſſe

potuiſſe evadere, graviter ſuſpicor: Cum igitur *Medico* probo & fideli incumbit, nullum non movere lapidem, ad artis provectionem adipiſcendam, ut in hiſce anguſtiis inter hæc duo periculoſa ſcopula, ommiſſionis ſcilicet & commiſſionis extrema, in neutrum impingendo, tuto progrediatur: Quid ergo de iis ſentiendum, qui non ſolum ignavi prorſus & otioſi, aliquid in *Medicinæ* augmentum proferre impotes ſunt, verum qui ab aliis detecta & exculta, immo & ipſis candide oblata, pervicacia prorſus nefanda ſupercilioſe damnant & reprobant: Verentes ſcilicet aliorum laborem aut virtutem ſplendore conſpicuam, ipſorum ignaviæ contumelioſam eſſe, ejuſq; dirum caſtigamentum.

Cum igitur tam pauci *Medici* ſunt, qui vel in hac minima officii parte reperiantur, ut ab aliis inventa, candideq; oblata benigniter recipiant, aut boni ſaltem conſulant, quanto ſane pauciores ſunt, qui officio ſuo in mage arduis rite funguntur. Si recte cognoverint *Medici* quantum in ſe ſuſcipiant onus, huic ſeſe praxi adjungendo, quanti ſcilicet momenti & difficultatis opus aggrediantur, cui non ſolum ingenii acies, ſed labor etiam atq; ſtudium ſumma, ad illud debite perficiendum debeantur; in qua etiam non modo tum ommiſſorum tum commiſſorum reddenda eſt ratio, ſed etiam pro reis tenentur, quihanc artem perfunctorie tractant, ſive qui ex negligentia & deſidia, ſive qui arduo & momentoſo huic muneri, animi dotibus & ingenio prorſus impares ſunt, Si hæc in mente, inquam, ſerio revolverent *Medicinæ practicantes*, eorum numerus tam

tam deficeret, quam hodie multitudo redundat & ſuperabundat: Atque non ſolum exſcinderetur turba *nugatoria Muliercularum* & *Officioſorum*, ſeu per modum *Parergi* & peſſima quidem fide hanc maxime *arduam*, ſummiq; inſuper *momenti artem, practicans:* Verum etiam *magna* eorum *pars*, qui ex profeſſo huic arti ſe dicaſſe venditant, quiq; magis *Prudentiæ Medici*, quam *Prudentiæ Medicæ*, compotes eſſe ſtudent: *i. e.* qui *artificium* magis quam *artis peritiam* colere operam navant: Veluti *Sciolorum Nugatorum* & *Cavillantium prævaricatorum* cohors, qui pro peritis tamen *Medicis*, paſſim apud vulgus habentur. Sed quamvis oportet *Mundum decipi, væ* tamen *deceptoribus.*

F I N I S.

ANIMADVERSIO in Librum D. D. PANTHOT.

NUper emisit Librum *D. D. Panthot Collegii* Medicorum *Lugduni Gall. Præses*, cui Titulus, *Reflection's sur l'estate de Fiever*, &c. In quo refert se per triennium elapsum, Febres Continuas feliciter curasse *Venesectione* solum & *Purgantibus lenetivis* frequenter propinatis, atque etiam cum *symptomata* atrociora exoriebantur, uti *Delirium, Stupor, Convulsiones*, &c. Vomitorium audacter & fœliciter dedisse. Ubi similiter *Cordialium* seu *Cardiacorum* noxam in *Febribus* clare evincit.

Licet non possum quin Laudarem *Ingeniosissimi* viri primitias, versus Novam Methodum Curandi febres per *Purgantia*: est tamen observandum ium male ommittere Paregoricum, licet non omnes ægri post Purgationem *Paregoricum* deposcant Febricitantibus tamen *Hystericis* & *Hypochondriacis*, aut aliquam ægritudinem post *Purgationem* Patientibus, illius usus est omnino utilis & necessarius: Plures enim *Febres* non leves unica Medicamenti purgantis Dosi hac *Methodo* curaveram.

Licet Purgantia lenetiva frequenter propinata, secundum *Methodum Authoris* curam præstare possent, cum nempe morbus hanc cunctationem admittat: Si vero morbus est paulo præcipitantior aut acutior, uti appellant, Purgantia fortiora debitis intervallis danda, omnino desiderantur. Hæc præterea lenientia, pro Methodo Authoris continuo usurpata, quia operantur Noctes atq; Dies, Patientibus, ideoq; valde molesta sunt, & Paregorici u-

ſum & utilitatem vix admittunt, noveram inſuper quoſdam Febricitantes, qui hiſce lenetivis hoc modo uſurpatis, poſt longam moram licet Curati: Illi tamen diu poſt curationem tam debiles fuere, ut *Atrophiam* vix evaſerint.

Si quis putaverit, hanc quam ſua Methodo *Author* curaverat *Febrem*, fuiſſe Epidemicam particularis cujuſdam *Conſtitutionis*, Eam itaq; *Methodum* Febri alterius *Conſtitutionis* vix convenire.

Opinor nullum qui Febrium naturam rite perpenderit dubitare poſſe, quin *Febrium Conſtitutiones* variæ, & earum *ſpecies* diverſæ (ſaltem quoad veram Curandi Methodum) mera ſint figmenta, illuſiones vanæ, & entia ſine neceſſitate multiplicata, uti ſunt *Pulſuum* ſpecies, & differentiæ, à *Galeno* & aliis enumeratæ.

Qui præterea *Febrium Phænomena* Naturalia, ſeu *Symptomata* ab *Hipocrate* in *Epidemiis* memorata probe attenderit; Ea eadem eſſe omnino reperiet, cum *Symptomatis* Febrium hic & ubiq; nunc invadentium. Habita aliquali ratione *Climatum, Temperamentorum, Conſuetudinis* vivendi, & id genus aliorum.

Si vero *Specifica* aliqua *Febrium* differentia ulla tenus eſt admittenda, ea maxime ratione Curationis ad *Criſim* ſpectantis probanda venit: Verum quod hanc *Febrium* Curationem per *Purgantia* attinet, *Febres Continuæ* omnes unius ſpeciei reperientur.

In ea quidem Opinione paradoxo, Ego omni modo ſum, tum hujus *Methodi* in omnibus Febribus continuis longa & fælici experientia, tum diuturna rei trutinatione,

ELENCHUS RERUM.

DE neceſſitate & utilitate Tractandi hoc ſubjectum *Feb. Continuarum*, tum ratione abſconditæ harum Naturæ & periculi, precipitantiſq; invaſionis harum *Febrium*, in quibus Morbos alios longe vincunt,& Hominibus terrori ſunt. § 1. Cumq; hæc omnia ſub *Medici præſidio* ſæpe contingunt, *Medicos* omnes probos & fideles decet earum naturam clarius eruere,ſine qua diſtincte cognita,neſciunt num manus jungant calamitoſo huic morbo. § 2. Febres continuuæ gradu ſolum differunt. § 5. *Signum Pathognomonicum* quod omni competat nullum habet *Febris*, ſed quod competat ſoli, eſt *Pulſus frequens*, ubi illud abeſt, quomodo *Febris* præſentia cognoſcitur. § 7. *Febris eſſentia* inveſtiganda eſt inter cauſas *Procatarcticas* ab una parte,& *Symptomata*,quæ veluti radii ex ea effluunt, ex altera § 8. Ex qua inveſtigatione *Febrium eſſentia* videtur conſiſtere *in difficili* & *tardo Sanguinis* & *Humorum* per totum corpus circuitu, ſive ex eorum *Craſſitie* ſive ex Canalium *obſtructione* aut infarctu, vel utraq; § 9. Ad explicandam hanc Febrium *Hypotheſin* cauſæ Procatarcticæ eventilantur, ut & *Perſpirationis læſio*, *Febrium* cauſa frequens, § 11, 12, 13, 14. Quomodo ea eſt *Febrium* cauſa. § 16. De modo quo perſpiratio perficitur. § 18, 19, 20. Confirmatio *Hypotheſeos* de *Perſpiratione*. § 21. Requiſita ad Perſpirationem debite perficiendam. § 23, 24, 25, 26, & ſeq. Ex dictis quomodo Perſpirationis ſuppreſſio *Febrem* generare poſſit explicatur. § 32.

Altera *Febrium causa* sunt *copiosi & crudi* succi in primis viis. § 37. Quomodo *Febrem* producere valeat § 39. *Digestionis Ventriculi* nova *Hypothesis mechanica*. § 40, 41, & sequent. Quomodo *Indigestio Febrem* producit. § 46. Reliquæ Febrium causæ procatarcticæ breviter explicantur. § 47. *Phænomena Febrium* naturalia secundum dictam *Hypothesin* explicantur, primo *Calor*, § 51. *Sitis*, § 53. *Dolores* omnis generis, § 54. *Delirium*, § 55. *Maculæ petechiæ*, § 57. *Pulsus frequens*, § 58. & seq. Difficultates circa explicationem causæ *Pulsus* frequentioris removentur, § 65. seq. Alia explicatio causæ *Pulsus frequentioris*, § 69, & seq. Pulsus parvitas explicatur, § 74. Inventio summe utilis ad exacte metiendum *Pulsus* alterationes quoad *frequentiam*, per pendulum, § 75. *Urinæ Phænomena* explicantur, § 76. *Practica Febrium Phænomena* explicantur secundum dictam *Hypothesin Febrium*, ut primo *Venæsectio*, § 77. Varia observantur utilia circa *Venesectionem*, § 79. Utilitas *Sectionis Venarum* inferiorum, § 80. Quando *Sanguis* emissus coagulari nescit, illius causa explicatur, § 81. Quomodo *Purgatio* prodest in *Febribus* explicatur, § 82, & seq. Cautiones circa *Purgationem* in *Febribus*, 1*ma*. Ut *Venesectio* sit immediate premissa, § 85. Ejus ratio explicatur, § 86. 2*da*. Cautio ut *Volatilia* sint *Purgantibus* admista aut adjuncta, ejus ratio, § 88. Ultima *practica* Cautio ut *Paregoricum* seu *Medicamentum pacificum* sit adhibendum, post operationem *Purgationis*, § 89. Illius utilitates, § 91. Periculum contrariæ Methodi, § 92. Obser-

va-

vio circa exhibitionem *PAREGORICI* ut dosis non tota simul debet exhiberi, § 94. Post hujus *Methodi* usum copiosi sæpe contingunt sudores, morbum solventes, § 95. Quandoque morbus in *Intermittentem* transit & tum Cortici cedit, § 96. Ægrorum dejectiones viscidæ a *Purgante* Medicamento, bonnum signum, § 97. Quando *Purgantia* non operantur in *Febribus*, malum, § 99. Quid agendum cum *Diarrhæa* Febrem comitatur, § 100. Pericula *Methodi* curationis *Febrium* ad *Crisin* directæ, § 101 hæc methodus curandi per *Purgationem*, non est terminanda intra limites Febris unius *Constitutionis* & quare, § 102. Reliqua *Febrium Phænomena Practica, Juvantia* & *Lædentia* expenduntur § 104. Ut *Salia Volatilia* & *Fixa, Testacea* & *Concreta Marina*, § 105. *Cucurbitularum* & *Hirudinum* usus explicatur, § 108. *Cutis Frictiones*, § 110. *Vesicatoria*, § 111. *Lædentia* in *Febribus* explicantur, uti *Sudores Colliquentes*, § 112. *Continuus* in *Nudum lectum* decubitus. § 113. *Diarrhæa*, 114. Dubium solvitur circa hanc *Hypothesin*, quod nempe facilis sit transitus sanguinis per *Pulmones* in Febribus § 115. *Exacerbationes* in *Pthisi pulmonum* confirmant hanc *Hypothesin*, § 118. explicatur cur difficilis sanguinis transitus per Canales non potius generet *Tumores* & *Inflamationes* quam Febres. § 119. *Humorum Crassities*, & *viscositas* est communis *causa Antecedens* omnium fere morborum: *causa* Variationis *Typorum* explicatur, § 120 *Epilogus* ubi ostenditur hanc *Hypothesin circulationis Minutæ* esse maximi momenti in Medecina, § 121 & seq; In Appendice observationes aliquot hu-

jus

jus praxeos Curandi febris per Cathartica tradunt
cum cautionibns aliquot practicis de usu hujus *M*
thodi : & breviter taxatur *Medicorum Defidia* & *N*
gligentia circa hanc *Praxim.* In fine, Animadver
in opusculum D. D.*P. Panthot* de methodo curand
Febres per purgantia & vomitoria.

FINIS.

Dissertatio Theoretico-practica

DE

FEBRIBUS CONTINUIS:

SEU

Nova de *Febribus* Hypothesis

Aucta & Illustrata:

IN QUA

Tam *Febrium Causæ* & *Symptomata*, quam *Juvantium* & *Lædentium* ratio, quin & tota fere *Oeconomia Animalis*, nova methodo explicantur.

Authore, *A. B.* M. D.

LONDINI:

Excusa impensis *Johannis Hepburn* ad insigne trium Leonum nigrorum, in platea vulgo dicta *the Strand*, exadversum vicum qui *Catharine-Street* dicitur. *An. Dom.* MDCC.

IV Xd
MVSEVM
BRITAN
NICVM

PRÆFATIO.

FRuſtra me quidem natum, atq; inutilem prorſus hujus mundi civem vixiſſe arbitrabar; niſi aliquid in humani generis ſolatium commune, in hac præſertim calamitoſa mortalium vita, proferre anniſus fuerim: In hunc igitur finem conamina mea de arduo hoc Febrium continuarum *ſubjecto, nunc depromens; ea prius rationis lance trutinanda ſiſto, quam aut præcipiti credulitate amplectantur, aut neglectu, ſeu faſtu ſupercilioſo rejiciantur: Si parum ſolidi aut utilis præ ſe ferre videantur, venia ſaltem me dignum ſpero, qui publico inſerviendi gratia, æſtimationis propriæ jacturam facere periclitabar, ex malevolentiæ nimirum procella, quam mihi impendere conſpexeram; præſertim ſi, auſpice Numine, quid dignum, i. e. quid hominum æmulationem aut invidiam excitare aptum proferrem: Certum enim eſt, tanta detractorum & cavillatorum ſtridula turba ſcatere hanc noſtram Gentem, quod plurimæ modeſtiorum Noſtratium elucubrationes eruditæ, luceq; digniſſimæ, horum metu, intra privatos parietes magno mundi damno adhuc latent.*

Licet ego Micam *ſolum in publicum literaturæ Ærarium injicere compos ſim; periculum tamen quod ſubeam, hac mea in publicum benevolentia; Oblationem utut tenuem, pluris habendam uti ſpero efficiet: In hoc itaq; magno ſubjecto, quamvis nil magnum attulerim; ſi in magnis voluiſſe ſat eſt, quanto magis ego*

saltem contumelia liberari, dignus siem, qui animo præterea magno intrepidoq; adversus magna imminentia pericula, in maznis quid voluerim. Accipe igitur Lector humanissime *benevolo animo, ea quæ de hoc gravi & ardao* Febrium continuarum *subjecto, mihi tandem suggesta fuerunt, dum sub diuturna praxi, animi nervos strenue intenderim, cogitationeq; ardenter fixas habuerim; Eademq; fere quæ ante quadriennium lingua nostra vulgari edideram, nisi quod majori nunc perspicuitate perstricta & explicata sint.*

In quibus non modo novam & a communiter recepta opinione diversam, verum Febrium ideam & curationem *illi plane contrariam & oppositam depinxi: Quorum receptionem eo fore difficiliorem autumo, quod* Medicos *plurimos gravissimorum errorum certissime insuper arguere videantur: Probus vero & ingeniosus opinione aut praxi nova, dummodo vera ac efficaci non offendetur;* Cavillatorum *quidem ac* irrisorum & *ejusmodi* pecorum *dentes caninos non curo.*

Non hic aranearum telas *texui, neq;* Febrium ideam, efferveſcentiarum & fermentationum *fumis & fæculentiis turbatam, per* analogiam *mire coactam attuli; nec longe mutuata* salis, sulphuris & Mercurii *combinationes & certamina, in fabulam placidam & amænam concinnavi.*

Verum omnia Systemeti & *legibus* Mechanicis *consentanea, ex* moventi, *scilicet,* moto, mediis *ac* fine *constantia delineavi.*

Nemo etiam magis dubitet dari in corpore principium motus, *seu primum* impellens, *quam in eo etiam* motum *dari dubitaverit; nisi simul putet vel a nulla*

causa

cauſa *vel ex* cauſarum *in corpore* concatenatione *infinita*, motum *illum pendere*: *Cum vero utrumq; eſt abſurdiſſimum, neq; dari poteſt tertium, niſi* primum Impellens, *ceſſitudine ergo* demonſtrationis *in corpore illud admittendum eſt.*

Quæq; hic compaginata, *ſi non omnimodam* ſoliditatem ac firmitatem *ſummam cuncta habeant, decoram ſaltem* ordinem *& venuſtatem*, proportionem & ſymmetriam *ut ſpero referant.*

Si ſingulæ igitur hujus ædificii columnæ (*quarum quædam ad ſuſtinendum, aliæ vero ad ornandum poſitæ*) *non ſint adeo* ſtabiles *ac* firmæ, *ſpero tamen ædificium non ruiturum, dummodo* columnæ *firmæ ad ſuſtinendum ſufficientes huic maneant, ſive plures & firmiores illi* baſes, *quam hujuſmodi ulli* ædificio *adhuc conſtructo, reſtent.*

Quantumvis mendoſum aut infirmum videatur jam altitum Schema, *id abunde penſari arbitror, ex* praxeos *illi annexæ ſoliditate & efficacia, quæ ſpem cauti ac prudentis* Medicantis *vix adhuc fefellit. Plerumq; etiam incantamenti inſtar,* Febres *ſuapte natura diuturnas & contumaces abſq; etiam* Metaſtaſi *cito terminat & medetur.* Theoriam *inſuper delineatam habes, quæ ni fallor ſi probe capiatur & intelligatur, lucem ſane non minimam* Manuductioni; *ac* Regimini *recto, (in caſibus præſertim dubiis) iſtiuſmodi utilitatis & efficaciæ* Praxeos *præbeat, ut ea rite adminiſtrata, multo certius & evidentius Curari poſſent* Febres continuæ *quam* Cortice Perùviano *Curari ſoleant* Intermittentes.

Si demum in hoc arduo ſubjecto per me Canalem *verioris aliquot* Eruditionis *rivulis, hominum mentes irrigen-*

gentur, aut ex me Face *purioris aliquot lucis radii ad intellectum in tanta obſcuritate illuminandum, fulgeant, aut deniq; ſi per me* ramum, *ſolidioris conſolationis fructus aliquot, de hoc calamitoſo* ſubjecto, *in generis humani uſum enaſcatur; Non mihi ſit* Laus, *neq; ſit quod ego* gloriar (*cum* Ego *uti* lutum, *in* manu figuli *fuerim,* Vas *ad* Honorem *aut* Dedecus *formari indifferens*) *ſed* Patri & Fonti Luminum & Beneficentiæ *omnis ſit* Laus & Gloria *in* Perpetuum. *Amen.*

DE

L. 1326

DE FEBRIBUS CONTINUIS:

Tentamen THEORETICO-PRACTICUM.

I. QUemadmodum *Vita* Hominumq; *Sanitas*, cæteris quibuſlibet, hujus præſertim Mundi bonis, præcellunt; Ita ante reliqua etiam omnia expetenda, ardentiuſq; deſideranda ſunt. Inter omnes pariter artes & ſtudia, (neceſſitatibus quoq; Hominum ſublevandis humani ſcilicet ingenii inventa) ars omnino nulla eſt, quæ præ *Medicina*, *Sanandiq*; *Arte* augeri coliq; exigit. Nullum etiam ea in arte datur *ſubjectum*, majore quam illud *Febrium Continuarum* enucleatione indigens, exactiuſve ſcrutinium depoſcens: Quod clare quidem pateat, modo *Febrium* naturam occultam, indolemq; latentem perpendamus. Sive *earum* latitudinem & extenſionem perluſtremus. *Febres* enim cum ſuis

Appendicibus, ultra dimidiam morborum partem quibus affliguntur Homines indubie complent: Sive *earum* periculoſam ac præcipitantem, qua Hominibus terrori ſunt invaſionem, circumſpectam habeamus. *Illæ* enim ſunt *Calamitates*, quæ *Eruptione ſubita*, ac *Conflagratione* tremenda, *Spem* ſimul noſtram & *Conſolationem* plerumq; intercipiunt & præripiunt. *Quæq;* propinquorum *Obitum*, & amicorum *Caſum* uti magis horrendum, ita ægrius ferendum, ac triſtiorem multo efficiunt. *Diuturnis* illæ etiam ac *Chronicis languoribus*, veluti invidentes; & *ſenectutem rugoſam* intempeſtive intercipientes; vires ſubito proſternendo, de formæ *Venuſtate*, ipſoq; Juventutis *Robore* celeriter ardoribus *ſuis* everſo, triumphant: *Incendio* etenim feroci, *ſtrageq;* miſeranda, ſæviter rabientes, diriſſimis ſuis effectis, tum *Hominum animabus*, tum *fortunæ bonis*, longe plura damna, quam morbi chronici afferunt: *Mortales* quippe ex ſecuritatis *Amplexibus*, *Gremioq;* ſanitatis apparentis, hiſce *Flammis* inopinato prærepti: Per vallem miſerandi *Dilirii*, *ſtruporiſve tremendæ*, vel *Phreneſios rabidæ*, in umbrarum regionem confeſtim præcipitantur. *Vita* ſic *Procella* veluti *Furibunda*, aut *Fulmine Tremendo* ſubito conſtrata, miſerandæ quidem *Ruinæ* effecta diriſſima cuncta habet; cum diſſolutio interim *Lenta*, opportunitatem præbeat præparationi, ac pacificationi, cum prægrandi illo *Monarcha*, cujus *Nuncius* ac

ac *Præco* Mors eſt; fœliciq; imo ac honorificæ *Deditioni*, occaſionem omnino opportunam dat.

II. Cumq; hæc inſuper omnia, ſub *Medici* ipſius *Præſidio* ac *Regimine* plerumq; tranſigantur: Ubi illius etiam auxilii inanis ſucceſſus, infœlix infauſtuſq; ut plurimum ſit: *Medicis*-ne igitur cordatis ac fidelibus incumbit, ardentius perquirere, hiſce num calamitatibus errores ſui, ſive in *agendo*, ſive *omittendo*, quantulumcunq; contribuant? De quo quidem nequit eſſe certus *Medicus* quamdiu harum *Febrium* indolem latentem prorſus ignorat.

III. Hæc, ut opinor, conſideratio a probo ingenioſoq; *Medico* ſerio penſitata, ad accuratiorem indolis harum *Febrium* inveſtigationem eum indubie impellet, ut *Remedia* nimirum certiora & fœliciora tandem depromat.

IV. Hiſce *Ego* rationibus percitus, poſt longam rei trutinationem, ſubjectiq; *Revolutionem* diuturnam, meam nunc de *Febribus* opinionem editurus. Non eſt quod *aliorum* ſententiis evertendis immorer: Cum omnium *Opiniones* præterquam illa *Bontekoi* (quæ cum noſtra quodam modo coincidit) ex noſtræ ſententiæ ſtabilimento, pari quidem paſſu corruerint.

V. Neq; in *Febrium ſpeciebus* ac *differentiis* enucleandis eſt quod hæream, Cum *Febres* omnes *continuæ*, gradu tantummodo differre mihi videntur: Cui etiam Sententiæ non parum ſuffragari

videtur ipſe *Clariſſimus Sydenhamius* cum dicit Pag. 68. *Sched. Monit. Cujus de malignitate (ſive nomen ſive notionem dixeris) opinionis inventio, humano generi longe ipſa Pulveris Pyrii lethalior fuit.*

VI. *Febres* licet *Continuas* gradu ſolum inter ſe differre, *Ego* opinor: *Symptomatum* tamen magna varietas eas omnino comitatur: Quorum *Ætiologia* in ſequentibus enucleanda, *Febrium identitatem* hanc *Specificam*, clarius forſan evincet.

VII. Quamvis *Febris Signum Pathognomonicum*, quod competat omni, habeat nullum: *Signum* tamen *Pathognomonicum* habet quod competat ſoli: Eſtq; illud *Pulſus frequens*: Ubi vero illud *Signum* deeſt, *Febris* tamen preſentia evincitur ex *Syndrome* ſive *Concurſu* cauſarum *Procatarticarum* prægreſſarum, & *Antecedentium* cauſarum quæ *Febrem* generare ſolent: Sive ex Concurſu *Concomitantium Symptomatum* & *Phænomenon*, naturalium, quæ ex *Febrili* diſpoſitione, veluti radii, effluere ſolent.

VIII. Sicuti etiam horum præſentia & concurſus, *Febrem* adeſſe indicant: Ita certum quoq; eſt, *Eſſentiam* ſive *Cauſam Febris continentem*, latere inter *Cauſas* illas *Procatarticas* & *Antecedentes*, ex una parte, & *Phænomena* ex illa eſſentia irradiantia, ex altera: *Earum* igitur eventilatio; *Cauſarum* nempe *Procatarticarum*, & *Antecedentium*: *Concomitantium* ac *Symptomatum* ſeu *Phænomenon naturalium*; Enucleatio quoq; *Phænomenon Practicorum*; *Juvantium* nem-

empe & *Lædentium*, lumen forſan aliquod obſcuro huic & caliginoſo ſubjecto, tandem adferet.

IX. Quibus ergo ſingulis, ſerio mecum & diu penſitatis; Opinor, *Febrium Naturam*, ſive *Eſſentiam* proprie conſiſtere in *Difficili* ac *Tardo*, *Sanguinis* & *Humorum* per totum corpus *Circuitu*; *Eoque*, ſive ex *Sanguinis* & *Humorum craſſitie*, vel ex *Canalium Obſtructione*, & *Coanguſtatione*, vel ex *utraq;* pendente; Quædam quoq; habente *Phænomena* immediate tardiorem hunc nimirum circuitum ſequentia; uti *Sitis*, *Inapetentia* & reliquarum *Functionum* proſtratio aut labefactatio; Quatenus debito Nutrimento & Refocillatione Functiones privantur: Alia vero habente *Phænomena* mediate pendentia, mediante, ſcilicet, *primi* in corpore *Impellentis* conamine ac impetu fruſtraneo, *Circuitum* redintegrare molientis: Quæq; excitantur ex *Impreſſionibus* ab immediatis effectis in *Impellens* factis: Uti *Calores*, *Rigores*, *Anxietates*, *Dolores*, *Pulſus frequentia*, & reliqui quilibet *Orgaſmi*.

X. Ad explicandum hanc *Febrium Ideam*, illiuſque *Cardinem*, difficilem, ſcilicet, *Tardumq;* *Sanguinis* & *Humorum Circuitum*; *Febrium* cauſæ *Procatarticæ* & *Externæ*, quatenus ordine *Naturæ* primæ, ita in campum primum ſunt deducendæ & eventilandæ: Ut videamus quatenus noſtræ *Hypotheſi* enucleatæ faveant.

XI. *Cau-*

XI. *Cauſæ* igitur illæ *Externæ* ſunt, *Errores* circa *Sex res non naturales* (vulgo nuncupatas) *Aerem*, nempe *Alimentum*, *Somnum* & *Vigilias*, *Motum* & *Quietem*, *Excreta* & *Retenta*, & *Animi Pathemata*. Quarum *Errores* omnium conſenſu *Febres* generare ſolent: Notum quoq; eſt, hos *Errores* generare, ac pedetentim accumulare *Cruditates* & *Viſcoſitates*; quæ in *Antecedentem* ceu *Potentialem* alicujus morbi cauſam reponuntur. Hæcq; *Cauſa Antecedens*, nunc *Gradatim*; nunc vero ex ſubito aliquo graviq; Errore, huic aut illi morbo favente, *Raptim*; in morbi *Cauſam Continentem*, id eſt, in illius *Eſſentiam*, formatur: Atq; ita plerumq; etiam *Febris* producitur.

XII. Inter omnes *Errores* circa has res non *Naturales*, ſicut *Perſpirationis* læſio videtur aliis longe frequentior; ita etiam manifeſtior *Febrium* quoq; *Cauſa* videtur eſſe. Sed ut intelligamus quomodo id fiat, *Perſpirationis Natura* ac *Ordo*, neceſſario eſt prius indaganda; quiq; dein ſint effectus *Perſpirationis* ſuppreſſionem apti nati immediate conſequi; & quatenus demum *Tardo* huic & *Difficili*, *Sanguinis* & *Humorum circuitui* hi effectus conferant.

XIII. Cum igitur ut dictum, *Errores* circa *Has res fomitem morbificum* neceſſario accumulant: Cumque *Hominis* ſimul *Vita* miſera ſane & infirma, variis implicata ſit anguſtiis, quibus modum ac menſuram tranſgredi cogitur, circa *Harum* ideoq; *Rerum*

rum uſum, in defectum aut exceſſum plerumq; ra-
pitur, unde *Vitam* profecto miſeriis refertam Ho-
mo duceret; niſi *Architectus* ille *Benignus* ac *Miſe-*
ricors; tum *Providentiam* ſummam ac *Artem*; tum
Miſericordiam & *Beneficentiam* immenſam demon-
ſtrando: Hæc noſtra condidiſſet corpora, *Excreto-*
riorum Canalium multiplicitate maxime Commoda
& Communita: Ad *Colluviem* ex *harum rerum abu-*
ſu accumulatam ſecure eliminandam: Unde In-
commoda exinde naſcentia facile curarentur: Idq;
non ſolum per *Inteſtina* & *Veſicam* obvia hæc &
patentia *Excretoria*: Sed alio quidem occulto &
obſcuro modo, non minus tamen menti & rationi
certo: *Perſpiratione*, ſcilicet, *Inſenſibili*, per *Cutis*
Poros tranſeunte: Quæ in tantam *Molem* exurgit,
ut reliqua *Senſibilia excreta* duplo-plus ſuperet:
Videturq; *Tertiæ* & *ultimæ Concoctionis* recremen-
tum.

XIV. Mirabile quoq; hoc *Naturæ* opus, & *Crea-*
toris exinde *Sapientia* & *Bonitas* erga Homines, tam
certa & evidens non facta eſſet: Atq; ita *Hominum*
ignorantia, eorum gratitudinem & admirationem
prorſus excluſiſſet & intercepiſſet: Niſi *Ingenioſiſſi-*
mus Sanctorius a Sanctorio, Patavinus ille quondam
Profeſſor, divino afflatu, ſolide demonſtraſſet rea-
litatem, neceſſitatem & menſuram hujus *Perſpiratio-*
nis Inſenſibilis: Qui etiam *Canones* & *Regulas* ad il-
lius moderationem luculenter tradidit. Et licet e-

lapſi

lapſi ſint quadraginta anni, ex quo *Sanctorius* ſcripſit, tam ignavi & ſocordes fuere tamen *Mortales* & ſui & ſuorum obliti; ut non ſolum non auxerint & excoluerint hanc illius *Doctrinam*, ad *Medicinam* ut opinor, plus omnibus aliis mediis *Preſervativis* & *Curativis* conferentem: Verum etiam (quantum novi) neglexerint, ex illius celeberrimo & fructuoſo *Invento* beneficium ullum aut fructum captare. Præterquam modicum illud quod *Bellinus* atq; *Etmullerus* in ſuis operibus de eo obſervarunt.

XV. Accuratiſſimus porro ille *Sanctorius*, hanc ſuam *Doctrinam*, *Lance* & ſenſibus, Triginta ſupra annorum experientia probatam, nobis tradit.

XVI. Cuivis jam rem ſerio penſitanti obvium erit, hanc copioſam, verum ſubtilem ac inſenſilem *Evacuationem*, Quæ ſenſum & obſervationem noſtram plerumq; effugit, ſæpiſſime ideoq; vitiari & ſupprimi: Unde certum eſt morbificam fomitem copioſam, exinde accumulari: Quæ in morbi *Cauſam Continentem*, ſive *Immediatam* facile exaltetur. Sagaciſſimus igitur ille *Author*, ex *Statica Experientia* obſervat, *Morborum* adventum & imminentiam, certius & tempeſtivius ex *Perſpirationis* obſervatione, quam ex actionum læſionibus prævideri. *Aphoriſ.* 42. § 1.

XVII. Ad clarius jam illuſtrandum, qui *Perſpiratio Læſa* ſit cauſa difficilis hujus *Sanguinis* & *Humorum* motus, quem *Febrium* cauſam *Continentem*

tem facimus, Obſervandum primum eſt, Quibus Veſtigiis *Perſpiratio* hæc incedat: Quæq; ſimul ſint requiſita *ad eam feliciter* perficiendam: Notandum dein, quæ *eam* lædant: Ut exinde capiamus quem *effectum* immediatum *Perſpirationis* ſuppreſſio ſortiatur: Atq; ſic ex latebris ſuis conditam hanc *Febrium cauſam continentem* depromere tentemus.

XVIII. Quod primum attinet, Quo, ſcilicet, Pede, *Perſpiratio inſenſilis* progrediatur. Reſpondeo, probabile eſſe, *Perſpirationem* in hunc modum perfici, cum, nimirum, *Aer* in *pulmonum* diſtenſorum cavitatem inſpiratione detruditur; certum eſt, *Pulmonum veſiculas* in extremis *Bronchiorum ramis* conſitas, hoc *Aere* quoq; impleri. Atq; etiam certum eſt, hunc *Aerem* in *veſiculis* contentum *pulmonum* calore inſuper plurimum rarefieri: Cumq; harum *veſicularum* ſtructura ſit, ex cavitate ampla, cum ſtricto orificio, manifeſtum quoq; eſt, in exſpiratione & *Pulmonum* contractione, *veſicularum* orificia non ſolum contrahi & claudi; ſed neceſſe præterea eſt, *Aerem* intra has veſiculas valde etiam comprimi: *Cujus* quidem *compreſſione*, ejuſq; inſuper *rarefactione*, probabile eſt, hunc *Aerem* incluſum, viam ſibi aperire per harum *veſicularum poros*, in *ramos capillares vaſorum Pulmonalium*, ubiq; circa has veſiculas diſſeminatos.

XIX. Atq; hoc nemini dubium ſit, quippe nullus hic pateat ſenſibus aditus, ex *Bronchiorum veſiculis* in hæc *vaſa pulmonalia*, cum omnibus notum ſit, pariles dari *meatus conditi* in *Inteſtinis* ad *vaſa*

lactea; per quos tranſcolatur *Chilus*: Ubi ſimul certum eſt, ſimili quoq; *Inteſtinorum* compreſſione, ex *Abdominis*, nempe, & *Diaphragmatis* motu reciproco, *Chilum* per *ductus* cæcos, ad *vaſa lactea* propelli: Quo etiam motu per *ductum Thoracicum* in *ſanguinem* uſq; premitur: Cui etiam ſententiæ de tranſitu *Aeris* per *Pulmones* ſuffragatur *Experimentum Suammerdamii* a *Sylvio* Diſputatione VII. Theſ. 86. memoratum hiſce verbis: *Aliud inſuper obſervavit ac mihi demonſtravit eadem occaſione* Suammerdamius, *lente diuq; in pulmones adhuc calentes preſſum, ex dicto ventriculo* Aerem *tranſire tandem in* Arteriam, Venamq; Pulmonalem *hinc & in utrumq; cordis ventriculum: Unde arguitur*, Aſperæ Arteriæ *cum dictis vaſis communio, tum ad inſpirati* Aeris *partem in vaſa admittendam; tum viciſſim ad halitus ex vaſis cum* Aere *expirato emittendos.*

XX. Hic itaq; *Aer* in vaſa *Pulmonalia* irreptus, *Pulmonum* reciproca expanſione & contractione, non ſolum cum *Sanguine* verſus majores *vaſorum* truncos pellitur, (cui motui *vaſorum* ſtructura maxime confert, facilis enim fit motus, ex cavitate anguſta in ampliorem) Verum etiam in hoc itinere, agitatione continua, ita intime commiſcetur cum *Sanguine Aer*, ut perfectionem ac complementum totum hoc modo *Sanguis* adipiſcatur: Uti apparet ex ſanguine in vena *pulmonali* ad Cor rediunte: Qui colore florido, conſiſtentiaq; ſpumoſa, a *Sanguine* arterioſo nil differt. *Aeris* præterea intima cum Sanguine *arterioſo* commiſtio, pateat per *Experimentum* illud *Mayoi*, pag. 144. *Qui Sanguinem venoſum* in *Antlia pneu-*

pneumatica immittens, *Aerem* Exantlantlando, parvam ſolumodo invenit *Sanguinis ebullitionem*: Sed *Sanguinem arterialem* immittendo, exhauſto *Aere*, magnam *Sanguinis* expanſionem ac ebullitionem vidit. Quod quidem ratione copioſi Aeris in *Sanguine arterioſo* contenti, accidit: Qui nimirum pro ratione minutæ vis elaſticæ ambientis *Aeris*, ſe expandens, *Sanguinem* in quo inviſcatur, etiam dilatavit. *Aeris* inſuper ingreſſus, & cum *Sanguine* mixtura, ex eo quoq; patet, quod corporis ſuperficies & extrema, *motu vehementi* tumeſcere ſolent: Tum enim *Reſpiratio* vehementior, ac frequentior eſt; unde major *Aeris* quantitas in *Pulmones* fertur, cujus magna portio ad partes carnoſas delata, eas tumefacit & inflat; Quæ etiam *Aeris* copia, generandis ſpiritibus materiam ſupplet; ad motum in vehementi corporis motu continuandum; veluti obſervatur a *Majoo* Pag. 307. "*Unde jumentis muſculos fere omnes per integrum diem exercentibus, materiæ explosivæ penus, pro tanto labore ſufficiens, derivatur; cui nempe ſupplendo, tota Sanguinis maſſa, non valet, eidem ſuppeditando* Aer, *fons ille liberior abunde ſufficit.*

XXI. Ex prædicta etiam *Hypotheſi* ingreſſus, *Aeris* in corpus ſolvitur clare illud *Phænomenon*, cur ex applicatione *Cucurbitalarum* caro elevetur: *Aer* quippe intra corporis partem cui *Cucurbitula* applicatur expanditur, & dilatatur; ob *Aeris* intra *Cucurbitulam* rarefacti reſiſtentiam minorem: Atq; ita carnem ſecum attollit & dilatat: *Aeris* demum aptitudo ad *Perſpirationem* promovendam, ex eo clare evincitur; quod *particulæ perſpirabiles*, *Aeris* parti-

culis implicatæ, maxime rarefiunt & volatiſantur: *Aeriſq;* inſuper activitate facilius protruduntur ac eliminantur; Veluti obſervat *Helmontius Tract. de Blaſ. Human.* "*Solus calor ad Sanguinis recrementa* "*eliminandum non ſufficit.* Atq; uti ſimiliter obſervat *Boylleus, in origine formarum.* "*Aqua limpida centies* "*rediſtillata, poſt ſe relinquit recrementum aliquod ſeu* "*caput mortuum, ignis operationem eludens.* Ad propellendum itaq; *perſpirabile* illud, præter corporis noſtri calorem, aliud quid *Volatiliſans* & activitate præditum requiritur, qualis eſt *Aer.* Nam ut *Helmontius* & *Tachenius* obſervant, Lignum in *Aere* libero putreſcens, nihil aut parum ſalis fixi præbet; Herbæ etiam aridæ, hoc ſale minus abundant, quam vireſcentes: Ex eo quod *Aer* ſit *ſalis fixi* menſtruum, ad eum extrahendum idoneum. Probabile etiam eſt, *Aerem,* omnem in corpore noſtro *ſalem* noxium, diſſolvere & abſorbere.

XXII. Ex dictis facile recolligere eſt, *Perſpirationem inſenſilem* nihil aliud eſſe, quam *Noxia Salina* & *Coagulantia* ultimæ *Concoctionis Recrementa,* ab *Aeris particulis* abſorpta, & cum iis per Pōros evolantia.

XXIII. Jam ſequuntur ea, quæ ad *Perſpirationem* debite perficiendam requiruntur: Quorum uno vel pluribus deficientibus, ſequitur plerumq; *læſa perſpiratio.* Ad *Perſpirationem* igitur fœliciter perficiendam, (præter *Reſpirationis motum, Pulmonumq; Craſin* integram, atq; *Cordis* & *Arteriarum* motum vegetum, quæ ſunt inſtrumenta) requiritur primo *Aeris* aptitudo, illius ſcilicet *Tenuitas* & *Puritas* debita. 2*do.* Materiæ perſpirabilis apitudo.

XXIV. Quod

XXIV. Quod *Aeris* tenuitatem aut rarefactionem attinet, certum eſt *Aerem* nimium attenuatum uti poſt exantlationem in *Antlia pneumatica* reperitur, Animalis vitæ nequaquam inſervire, & non ſolum *Perſpirationi* ineptum, ſed æq; etiam cito in eo Animal mori, ac ſi laqueo ſtrangularetur; hujus quoq; *Phænomeni* hæc videtur eſſe Cauſa, quod *Aer* nimium rarefactus inſpiratus, ulterius rarefieri nequit, in quantum perficiendis *Oeconomiæ* functionibus debetur: *Elater* enim *Aeris* nimium rarefacti ita debilitatur, ut *veſicularum* Poros penetrando non ſufficiat: Atq; ita *Sanguis arterioſus*, *Aereis* particulis *Elaſticis* & *Volatiliſantibus* deſtitutus, ſtatim ſirbſidit; *Sanguiniſq;* *venoſi* particulis *Aeriis* ſpoliati, genium ſolumodo ac naturam refert: Unde ſequitur Animal ex inſpiratione *Aeris* non ſatis denſi & opimi, quadam veluti fame confici: Atq; id non minus certo, multò vero citius, quam ſi vento pro cibo paſceretur.

XXV. Quod *Aeris* puritatem ſpectat, certum eſt in *Aere* puro & ſereno degentes melius *perſpirare*: *Aer* quippe fuliginoſus aliiſq; particulis jam ſatur, particulas *perſpirabiles* ita facile abſorbere nequit, ac *Aer purus* & *jejunus*. Hac quoq; de cauſa *Aer nebuloſus*, *paludoſus*, imo & *nocturnus* non tam noxam corpori infert, ut ambiens, atq; ita Poros afficere, aut obturare aptus: quam uti inſpiratus *Perſpirationis progreſſui* ineptus: Certum pariter eſt, hæc omnia effecta quæ *frigori* ſuſcepto vulgo attribuuntur, non tam ex *ambientis*

Ener-

Energia pendere, quam ex inſpirati *Aeris ineptitudine*; aut ſaltem ex utriuſq; complicatione, oriri.

XXVI. *Aeris puritati* vicinum eſt illius quoq; frigus, quod *Perſpirationi* inſervire creditur, ex eo, quod *Aer frigidus* ſit plerumq; etiam denſus & purus; Maximæ igitur ut *Rarefactionis* capax; ita *Sanguinem* & *Humores exagitare valens*; eos valde ideo volatilisat *Perſpirationiq;* maxime præparat: Talis etiam *Aer* ut ambiens *Perſpirationi* in corporibus robuſtis quoq; favet: Quatenus *Pororum* nempe ac *Fibrarum tonum* reborat ac firmat: Secundum *Sanctorium* in *Medicina Statica.* § 2. Aphoriſ. 7.

XXVII. Procul etiam dubio eſt quod *Caloris* & *Frigoris* viciſſitudines, *Perſpirationi* magis inſerviunt, quam alterutra qualitas ſemper durans: *Noctium* itaq; & *Dierum*, *Anniq;* tempeſtatum *ſucceſſiones*: *Locorum* pariter & *Climatum* mutationes: Imo & *Animi affectuum alterationes*, uti exiſtimat quoq; *Sanctorius*, *Perſpirationi* eliminandæ optime ſubſerviunt: Tum itaq; ad ſanitatem conſervandam, tum ad morbos depellendos, ea omnia reſpective efficacia ſunt: Reciprocationes enim alternæ rarefactionis & condenſationis *Aeris* ambientis, ſemper comitantur has *Viciſſitudines*, (excepta illa animi *Pathematum*) unde *Aer* cum *Sanguine* & *Humoribus* intimius permiſtus, viciſſim dilatatur & conſtringitur: Qui eadem opera, ſuccos & humores malaciſſando & ſubigendo, viſcidos & tenaces humores mire attenuare & volatiliſare ſolet.

XXVIII. Ex *Aeris* etiam vitiati fonte, *morborum Epidemicorum* longe lateq; graſſantium cauſa, omnino

nino deducenda est: Hi enim *Morbi* causam æq; latam & communem ac ipsi sunt, necessario agnoscant: Qualis est solummodo *Aer*, omnium corpora, scilicet, intime pervadens: Qui in *Epidemica constitutione* particulis *coagulantibus*, aut ad *Perspirationem* debite perficiendam omnino ineptis scatens; *Crassitiei* & *Viscositatis* gradum *Sanguini* & *Humoribus* inducit: Lævissimus enim *Viscositatis* gradus sanguinis motus traditatem inducere valet. A *Cardano* præterea observatur; Homines *coagulantis* cujusdam *Aeris* afflatu, in rigidas statuas commutatos fuisse: In subterraneis etiam *Cavernis*, *Aer* quandoq; ita *malignus* & *deleterius* erumpit, ut confestim Homines enecet. Atq; nihil aliud *Pestis* videtur esse, quam *Coagulationis* intensior gradus, ab *Aere pestilenti* inspiratione *Sanguini* inductus: Unde veluti a *Febre* summi gradus, *Sanguinis circuitus* subito perimitur, ac *Oeconomia* in totum sternitur.

XXIX. Requisitum secundum ad *Perspirationem* fœliciter perficiendam, videtur *Materiæ perspirabilis* aptitudo; illius, scilicet, debita *Tenuitas* & *Sequacitas*: Quæ quidem conditio, partim ex integritate *Organorum* & *Functionum* ad concoctionem requisitorum, pendere videtur, partim vero ex *Alimentorum* assumptorum *qualitate* & *quantitate*; quorum *Errores* mediante *Perspirationis* læsione, *Febres* producere solent: De quibus consulendus est ipse *Sanctorius* in *Aphorismis Staticis*, § 3, 28, &c. Ubi asserit, læsam *Perspirationem*, ineptam *Ventriculi concoctionem*, plerumq; sequi.

XXX. Ter-

XXX. Tertia atq; ultima ad *Perſpirationem* co ditio, videtur, *Pororum cutis* apertura, *Fibrarum* robur & *firmitas* debita: Ea itaq; omnia quæ *Po* occludunt, aut firmitatem Fibrarumq; *tonum* ene vant, *Perſpirationem* etiam lædunt; ſecundum *Sa torium* §2.& alibi,uti hæc etiam,mediante *Perſpir tionis læſione*, *Febres* generare ſolent.

XXXI. Sed obſervandum eſt, eas cauſas qu *Perſpirationem* lædunt,ſingulas & ſeorſum, effectu rarius producere; *Complicatas* vero & *Conjuncta Perſpirationem* certius ſupprimere: Atq; ex eo fi quod una eademq; cauſa, *Perſpirationem* vel adju vare, vel lædere poſſit; prout aliis complicata,au conjuncta eſt: De quo conſule *Sanctorium* in *Medi cina Statica.*

XXXII. Notandum porro eſt, quod ſicuti om nes hæ *cauſæ Perſpirationem* lædentes, *Febres* quoq producere valeant; ita ad hunc modum *Febres* fie ri opinor. Probabile quidem eſt, *Materiam* han *Perſpirationis* retentam, circa vaſorum Capillarium fines accumulari,ſive inter *Arterias* & *Venas* ſtagnar & condenſari;quæ materia perſpirabilis condenſata ſi non ſudore extrudatur,uti quandoq; ſolet,tum tan quam Excrementitia,Spiritibuſq;imbui,ac corpori al ſimilari inepta,in *Viſcoſitatem*, quandamq; tanquam *Purulentiam* degenerat.Cumq; hæc materia,inter *Fi bras* in confinio venarum ſita ſit,*mole* ſua & *acredine*, *Fibras* irritat ac rodit: Quæ eam in *Venas* conſtrin gunt,& *Sanguini* refluenti deniq; immiſcetur.Ubi non ſolum *Sanguinis ſerum viſcoſitate* inficit: Verum illius etiam *Particulas* ſive *Globulos* vitiat: Eorum nempe

mag-

magnitudinem, ſive augendo, ſive *figuram* eorum *ſphæricam*, aut *angulis*, aut *ſcabritie* deformando. Certiſſimum enim eſt, ex innumeris *globulis*, in *ſero tenui* & *limpido* natantibus, *Sanguinem* naturaliter conflari: Ut per *Microſcopium* obſervatur a *Lœwenhoekio*: Maxime etiam probabile eſt, hos *globulos* ex ſua natura debere eſſe hu juſce *molis*, *numeri* & *figuræ*: Atq; etiam *ſerum* hujuſce eſſe *quantitatis* & *tenuitatis*, quæ motum *Sanguinis* per *Canaliculos* anguſtos, inter *Arterias* & *Venas*, maxime facilitare valeat: Cui motui *Globulorum figura ſphærica*, ac *ſuperficies polita*, maxime quidem commoda eſt.

XXXIII. Cum igitur uti dictum, *Materia perſpirabilis* retenta, tum ſerum viſcoſitate, tum *Globulos ſcabritie*, aut aliter in *figura* aut *mole* vitiare poſſit; Ita demum certiſſimum eſt, hæc *Globulorum*, ſive *Seri* vitia, *Sanguinis circuitum* inter *Arterias* & *Venas*, *tardiorem* & *difficiliorem* omnimodo efficere.

XXXIV. Quodq; hæc *Seri*, *Globulorumq*; *Sanguinis* vitia, non gratis aſſerantur, patet ex obſervatione *Sanguinis* febricitantium per *Microſcopium*: *Sanguinis* enim *Globuli* tum *magnitudine* tum *numero* clare quandoq; apparent vitiati; cum *majores*, ſcilicet, aut *plures* debito, *i. e.* quam in ſanis ſolent eſſe, cernuntur; tum *ſcabritie*, cum plures *conglomerati*, ſcilicet, cohærentes apparent. Sparſim enim in *ſero* vagare debent, & *ſeri viſcoſitas*, quandoq; nudis oculis, imo & tactu cerni poſſit.

XXXV. Et quamvis ſingula hæc *Sanguinis* vitia, ſeorſim illius *circuitus difficultatem* quodammodo efficiant: Complicatio tamen, horumq; *vitiorum* in-

geminatio, *Sanguinis tarditatem*, mali quoq; contumaciam mire augent.

XXXVI. Quodq; *Febris proſapia* in hunc modum fiat, veriſimilius videtur, cum *Sanctorii* quippe ſententia probe conveniat; qui in 1*ma. Sect. Med. Stat.* aſſerit, *perſpirabile* retentum nec Natura nec Febre ſuperveniente eliminatum, ſtatim in *malignam* tranſire *Febrem*: *Febrem* intellige ex *Obſtructionibus* contumacioribus pendentem. In *Aphoriſmate* etiam ſequente dicit, in *Febribus* in pejus ruitur, ſi præpoſtera medicamentorem applicatione *Perſpiratio* impediatur.

XXXVII. Ex *Perſpiratione* igitur ſolum retenta, primus *Febris* gradus ſive levior illius *Scæna* pendere videtur: Quæ periculo plerumq; vacat, niſi *Medicantium* officioſitate præpoſtera & temeraria urgeatur: Aut niſi in corpore, ſuccis copioſis & *crudis*, in *primis* viis referto, accidat: Hæc enim humorum colluvies, mali fomes plerumq; fit: Ea quidem in *maſſam Sanguinis* continuo tranſlata, *Morbi* tum *Contumaciam* tum *Periculum* auget.

XXXVIII. Cruda inſuper hæc *Materies* nihil aliud eſt, quam *Craſſa*, imperfectæ & perfunctoriæ *Digeſtionis Ventriculi*, aliorumq; viſcerum, *recrementa viſcoſa*.

XXXIX. Inquiſitio igitur in modum ac methodum *Digeſtionis* perfectæ, nobis certo indigitabit, in quo *Digeſtio imperfecta* vere conſiſtat; quiſve ſit *Humorum* male ac inepte digeſtorum ſtatus: Et qui prædicto *Sanguinis motui difficili* ſeu *tardo*, prædicti *Humores* & *Recrementa* conferant.

XL. Hanc

XL. Illam igitur prætereundo ſententiam, quæ in *fermentatione Ventriculi digeſtionem* ponit (hac digeſtione fœlicius ſemper peracta, abſq; *eventilatione* & *quiete*, abſolute ad *fermentationem* requiſitis:) magis quidem *Naturæ* & *Rationi* conſentaneum opinor, hanc *Ventriculi* actionem *Mechanice* explicari, eamq; in *attenuatione* quadam alimentorum, & in *Chilum tritura* conſiſtere: In hunc ſcilicet modum: Primo enim certum eſt, *Ventriculum* contentum amplectendo *Alimentum*, arctius in illud corrugari, & contrahi: Dein æq; certum eſt *Alimentum* inibi, *motu* reciproco & continuo, revolvi & agitari: *Motu* ſcilicet *Diaphragmatis* illud deprimente, & *Abdominis* illud viciſſim reprimente: Qui *motus* talem in *Alimentum* effectum maturantem & malaciſſantem ſortiri videntur, qualem in *prunum*, aut ſimilem aliquem fructum motus ſive manus revolutio producere ſolet: Atq; ita *Alimenti* partes *mutua attritione* in *Chilum* maturantur & malaciſſantur.

XLI. Quantum huic inſuper operationi conferat, in *Alimentum* ſtricta *Ventriculi contractio*, patet ex conſideratione experimenti Vaſis *digeſtorii Papiniani*, in quo oſſa in pulpam liquantur & attenuantur; Idq; nullo alio artificio, quam *Vaſe* digeſtorio ita fabricato, ut undiq; liquorem contentum, dum concoquitur arcte amplectatur: Hac enim ſtricta contenti liquoris coarctatione, *particulæ* illæ ſumme agiles, quæq; in vulgari coctione in auras erumpere ſolent, inviſcantur & incarcerantur: Motuq; quaquaverſum ferociter agitatæ, in *materiam* ſoli-

dam & reſiſtentem impingentes, eam ita atterunt, ut oſſa in gelatinam exinde convertantur.

XLII. Ex quo *Experimento* non modo patet, quantum huic *Ventriculi* actioni promovendæ illius contractio conferat; Verum etiam quantum *digeſtioni* quoq; contribuat, quorundam *liquorum*, ſpiritibus impregnatorum ex *Ventriculi* glandulis infuſio: Quæ tum ad *Alimenti* macerationem, cum ad illius attritionem conducunt. Hiſce etenim liquoribus non ſolum maceratur *Alimentum*, & attritioni præparatur; Verum a *Spiritibus* inibi etiam contentis, ac in *Ventriculo* arcte amplexis & incluſis, indubie æque perficitur inteſtinus ille *Alimentorum motus*, ea atterens & digerens, ac ab iiſdem ſpiritibus, ſtupendi illi Muſculorum *motus*, ab eorum elaſticitate provenientes.

XLIII. Unde clare pateat qui fit, ut ii, qui intenſo officiuntur mœrore, aut ſimili paſſione immodica, ex quo *Spiritus* vel non generantur, vel alio divertuntur, inepte prorſus digerant, & gravitatem circa *Ventriculum* patiantur: *Ægri* etiam *Apoplectici* duplo-plus *Alimenti* comedunt, & digerunt, quam cum ſani: Hac maxime de cauſa, *Spirituum* quippe *Animalium* influxus in reliquum corpus & membra impeditus, in *Par vagum*, *Nervoſq*; *Intercoſtales*, in *Ventriculum* & *Inteſtina* terminantes liberius fertur, Quorum viſcerum incolumitati diutius *Natura* incumbit: Hæc itaq; *viſcera*, *ſpiritibus* uberius irrigata, munere ſuo vegetius perfungunt: De quo vide *Brunerum de uſu pancreatis & lymphæ.*

XLIV. Huic

XLIV. Huic quoq; *Digeſtioni* non parum confert, ut opinor, *Alimentorum* etiam in ore, *commaſticatio* eorumq; cum *Aere* & *Saliva* commixtio: Quæ quidem *Concoctionis* rudimentum,& *Rarefactionis* initium *Alimentis* indubie ſunt: Qua de cauſa *veſica Aeria* quæ in *Piſcibus* ſemper eſt turgida, *Canalem* in *Ventriculum* terminantem habet; ut obſervatur a *Nidenhamio.*

XLV. Ex jam dictis clare conſtet, has *Eructationes* quæ in *Apepſia* & inepta *Ventriculi digeſtione* ſæpe contingunt, ſecundum dictam *Hypotheſin* commode explicari; *Particulæ* quippe hæ ſumme *agiles* & *volatiles*, quæq; *Ventriculo* incarceratæ & *Alimentis* inviſcatæ, motu quaquaverſum, *Alimentum* attenuare, & comminuere debent, *Particulæ* hæ inquam, *activæ*, ob *Ventriculi* laxitatem, ex *Alimentorum maſſa* erumpunt: Quantulacunq; enim, vacuitas inter *Ventriculi* tunicam & *Alimenta*, hiſce particulis activis ex *Alimento* evolantibus, cito quidem receptaculum fit: Quæ quidem particulæ ab *Alimentis* eviſcatæ, & liberæ, *elaſticitate* ſua *Ventriculum* diſtendentes, & irritantes, perq; *Æſophagum* viam ſibi aperientes, in auras evolant. Quod obſervatur a *Sanctorio* in *Med. Stat.* § 3. ubi ait,quod cibi quantitas minor ſolito, nec *digeritur*, nec *perſpirat*; quia *Stomachus* minus ſolito ad amplectendum undiq; *Alimentum* contrahitur.

XLVI. Hac digreſſione facta, ad perfectæ *Digeſtionis* modum commonſtrandum: Inde plane ſequitur; *Indigeſtionem*, partes *Alimenti* craſſas immaturas ſive viſcoſas relinquere: Unde in *primis viis* humo-

morum congeries accumulatur, *Morbi* alicujus apta nata *fomes* fieri, præſertim *Febris*; quantacunque vero *cruditatum* harum portio, in *Sanguinem* tranſlata, cum vegetum & integrum agit *circuitum*, illius quidem *motui*, parum noxæ inferat. Illæ quoniam crudæ *particulæ*, vivido *Sanguinis motu* plerumq; ſubjugantur, & attenuantur, perq; *inſenſibilem Perſpirationem* eliminantur. In prædicto tamen caſu, ubi præfatam *difficilioris* circuitus *Sanguis* agit *ſcænam*, *Particulæ* illæ *craſſæ* & *viſcoſæ*, in *Sanguinem* tranſlatæ, ac *Seri viſciditatem* augentes, *Globorumq; Sanguinis* molem ac figuram vitiantes, in *capillaribus Venis obſtructiones*, itaq; & *Obices Sanguinis* motui contumaciores certe ponent: *Cruditatibus*, ſcilicet, per *Venas lacteas* aſcendentibus, ex una parte, & *perſpirabili* retento ex altera; utroq; *Sanguinis circuitum* impediente, (quorum a tergo ſequuntur pleraq; illa *Phænomena* ex *primi impellentis* lucta ad motum redintegrandum oriunda) naſcitur *Febris*, eaq; ſummi quoq; gradus.

XLVII. Quod reliquas *cauſas Febrium procatarticas* attinet, probabile etiam eſt, *eas* hanc *Sanguinis viſcoſitatem* & *craſſitiem Febrium* cauſam *continentem*, immediate quoq; inferre: Uti in vehementi *Corporis* atq; *Animi motu*, ubi tenues & aqueæ *Sanguinis* & *Humorum particulæ*, copioſius exhalantur; *Sanguis* exinde *craſſior* neceſſario relinquitur, motuiq; ineptior. A motu vero vehementiore animi, quomodo *Sanguis* quoq; craſſior evadat, clare & diſtincte explicat *Sanctorius* in *Med. Stat.* § 7.

XLVIII. Quod

XLVIII. Quod vero ad *Liquorum ardentium & Spirituoſiorum abuſum, Febrium* quoq; cauſam *procatarticam*, ſpectat: Cum clare quidem conſtat, *Vini ſpiritum Sanguinem* recenter elicitum ſtatim coagulare; nullum eſt igitur dubium quin horum *Liquorum* abuſus, quendam *coagulationis* gradum, in *Sanguine* intra corpus producere valeant.

XLIX. Jam quoad naturalia *Febrium Phænomena*, ac *Symptomata* eas concomitantia; qualia ſunt *Calor* & *Rigor, Pulſus frequens, Sitis, Dolores, Inquietudines, Anxietates, Diliria, Maculæ* & *Petechiæ*, &c. Ea omnia opinor nullo modo commodius ſolvi poſſe, quam eorum *Proſapiam*, ab hoc *difficili Sanguinis motu* derivando: Alia enim ſunt *Immediate*, alia vero *Mediate*, (*Mediante*, ſcilicet, *primi Impellentis* lucta & conamine, *motum* redintegrare molientis) naſcentia.

L. In limine igitur opinor, *cuivis* qui unquam *Febri* laboraverit hanc noſtram *Febrium Hypotheſin* obviam fore, modo recordatus fuerit, continuas & vehementes *Pulſationes*, quibus in *Capite, Dorſo, ſinguliſq; extremitatibus*, ipſe *Febricitans* affligebatur: quæ quidem *Pulſationes, difficilem* ac *tardum Sanguinis* per has partes *curſum* & *progreſſum*, clare indigitabant: *Sanguinis* enim pulſus, in obices vehementior, tum ſentitur, tum affligit: Cum in ſanitatis ſtatu nil tale ſentiatur; quia *Sanguis* tenuis, per *Canales* patentes, tunc placide tranat.

LI. Ad *Calorem* in *Febribus* ſecundum hanc *noſtram Hypotheſin*, explicandum: Animadvertendum, quod in *naturali* & *ſanitatis* ſtatu, *Calor* licet vegetior

tior ac vividior ſit, quam in ſtatu valetudinario, minus tamen ſentitur & affligit: In ſanitatis quippe ſtatu *Caloris radii* (num hi ſpirituum denſa ſint agmina, non eſt hic diſquirendum) in *Sanguine arterioſo*, in medio quidem ſatis *Diaphano*, per *meatus* ſat patentes, omnia verſus organa, habitumq; corporis, ad ea refocillandum, vegete ac lete fluunt: Ex quo influxu integre perfuncto, *vitæ fælicitas, functionumq; integritas*, certe pendet: In *ſtatu* vero *morboſo, Febrium* præſertim *Calore*, hi *radii* per *medium craſſum* & obſcurum tranantes, qualis tunc *Sanguis arterioſus* eſt, inq; *capillarium vaſorum* oras, partim *obſtructas*, partim *ſcabritie* & *viſcoſitate* obſitas, impingentes: Hi, inquam, radii in tranſitu neceſſario refranguntur, & reflectuntur, & colliſiones plurimas ſubeunt. Probabile inſuper eſt, quod *radiorum Caloris modificationes*, in *tactus* ſenſum ſimilem plane effectum producant; quem pariles *radiorum Lucis* ac Viſus *modificationes* in *ſenſorium* ſuum producunt: Notum enim eſt, *diverſitatem*, aut *inæqualitatem medii*, per quod *radii viſivi* tranſeunt, ſive a quo refranguntur, aut *varietatem texturarum ſuperficiei*, a *qua radii* incidentes reflectuuntur, in *viſus* organo *imagines* imprimere, quibus objecta repræſentantur diverſimode figurata ab iiſdem, abſq; dictis *refractionibus* & *reflectionibus* repræſentatis: Non improbabile igitur videtur, *Caloris radios* per *medium* illud *craſſum* & *inequale Sanguinis* tranſeuntes, diverſimode *refrangi*: Atq; ita refracti, *Caloris ſenſorium* appropinquantes, id eſt, *Nervos* ubiq; per corporus diſperſos, inibi majorem ſolito *Caloris* ſenſum

im-

imprimi. Aut ſi placeat per *reflectionem*, quod eodem redit, cum hi nempe *radii* per *Arteriarum truncos* ejaculati, in anguſtos *meatus ſcabritie* obſitos, ſive *obſtructos* incidunt, in *Nervos*, caloris ſenſorium, diverſimodi reflexi impingunt, atq; *impreſſionibus* vehementioribus eas afficiunt; quam cum latera *Vaſorum* placide tranant, perq; patentes *meatus* diſperſi, munus deſtinatum perfunguntur.

LII. Quod *Caloris intenſioris* ſenſus, pari fiat modo, ex hoc inſuper *Phænomeno* clarius conſtabit; cum ore, ſcilicet, patulo lente expiramus, manus tunc appoſita, ſenſu *Caloris* ab halitu afficitur. Si vero eadem expiratio ore contracto velocius fiat, *Frigoris* tum ſenſum imprimit: In priore quippe caſu, halitus *particulæ* non *directe* feruntur, ut in poſteriore caſu, ſed motu *tranſverſo* & *titubante*, *reflectioni* & *refractioni* quodam modo *æquipollente*, in *Tactus* ſenſorium *Caloris* ſenſum impingunt; cum eædem ipſæ *particulæ* directe fluentes *ſenſum* non *Caloris*, verum *frigoris*, manui imprimuunt. Atq; hoc *Phænomenon* halitus expirati, lucem aliquem, ut opinor, etiam adferet *Phænomeno* iſto *Rigoris*, in *Febribus* quoq; frequenti, qui ex *modificatione* quadam motus *ſpirituum* intra corpus, huic halitus *modificationi* quodammodo æquiparanti, pendere videtur.

LIII. Quod *ſitim* in *Febribus* attinet, Ea a *Calore* nullo modo producitur, uti vulgo creditur, ſed alius eſt potius rivulus ex eodem quidem fonte cum *Calore* ſcaturiens, ex *Sanguinis*, ſcilicet, & *humorum craſſitie*. Non eſt igitur *Calor*, qui *linguam*, *fauces*, *œſophagum*, &c. exſiccat; ſed eſt irrigationis harum

partium defectus: *Glandulæ* enim *lymphaticæ* & *ſalivales*, eadem pariter *obſtructione*, ex *Humorum craſſitie* affectæ, liquorem proprium a *Sanguine* vel non *ſecernunt*, vel eum ſecretum, in iſtas partes non excernunt.

LIV. *Phænomena* illa *dolorum* omnis generis, *Inquietudinum*, *Anxietatum*, ex eadem *obſtructionis* quoq; fonte, æq; facile ſolvi poſſe arbitror: Quia *Spiritus* ſive *Caloris radii*, ratione *medii craſſi* ſeu *meatuum coangustationis*, curſum ſibi deſtinatum peragere non valentes, quaquaverſum reſiliunt; atq; ita in *partes nervoſas*, ſenſu exquiſito præditas impingentes, *dolores* excitant; ac in quavis parte *Scænas* peragentes, *Symptomata* illi competentia & congruentia excitant.

LV. Atq; in *Cerebro* pari fere modo *Dilirium* excitatur: Ille enim affectus ſolummodo videtur oriri, ex *Spirituum* motu directo, *colliſionibus* & *refractionibus* perverſo, *imaginationem falſam*, & *concuſſam*, imprimente: Pari fere modo, ut fit in *viſus* deceptione, cum remus in aqua fractus apparet; idq; propter *Radiorum viſus refractionem* & *diſtortionem*: ſimiliter probabile eſt *Spiritus* inter *Cerebrum*, vel *ſuccum* ſaltem *nervoſum* eorum vehiculum aut *medium*, genitos, ex *Sanguine* hoc *craſſo* & *inequali*, illorum in *Sanguine refractionum* & *diſtortionum* parente, talibus pariter *refractionibus* ac motus *depravationibus*, in *cerebro* eſſe obnoxios: Atq; exinde produci cuncta illa *Phænomena*, Cerebro & Nervis competentia.

LVI. Quod *Diliria* pari fere modo excitentur, clarum inſuper erit, ſi penſitemus familiare illud

Di-

Dilirium tactus, quod fit, *medio digito* ſupra indicem ejuſdem manus torto, atq; *digitorum apicibus globulum* aliquem palpando, non ſolum putares, ſed jurares te *duos globulos* tangere, nullatenus etiam niſi *occulis* ab errore, & dilirio liberaberis: Hujus quidem deluſionis ratio videtur eſſe a *Nervorum diſtortione*, quæ *Cerebro diſtortam* & depravatam objecti impreſſionem conſignat; veluti etiam hoc *Phænomenon* quodammodo refert deceptionem illam *viſus*, objectum per refractionem depravate repræſentantem; ita clare indicat *Dilirium* ſive *Imaginationem depravatam*, a *ſpecierum refractione* intra *Cerebrum* pendere.

LVII. Nullum, ut opinor, in *Febribus Phænomenon*, hanc noſtram *Hypotheſin* clarius firmabit, quam *Macularum* & *Petechiarum* eruptio: Hæ enim *Maculæ* vibices in cute ex ictu inflictos omnimodo referunt; pariterq; certum eſt, ex *Sanguine coagulante* in contuſis ac diſtortis *capillaribus*, hos vibices conflari: Qui durare ſolent, donec novus *Sanguis*, gradatim adveniens, Canales hoſce repurgaverit, ac reſarciverit, cutiſq; colorem debitum renovaverit. Eodem fere modo hæ *Maculæ* in *Febribus* oriri videntur; hac tamen differentia, quod in *Febribus Maculæ* ex *Canalium* contuſione non pendeant, verum ex *Sanguinis craſſitie* vaſa illa *capillaria* infarciente, cutemq; *rubore*, aut *livore* tingente: Eademq; omnino videtur differentia inter *Maculas* rubras & lividas, (gradu nempe ſolum differentes) quæ eſt inter eaſdem *Maculas*, ab externa cauſa pendentes: Gravior enim contuſio, *Livorem*, uti lævior ſolum-

modo ruborem, cuti inferre ſolet: In *Febribus* ſimiliter minor *coagulatio* ſive *obſtructio* rubras, major vero lividas *Maculas* generare poteſt.

LVIII. *Phænomenon* illud in *Febribus* maxime ſolitum, ac raro eas non concomitans *Pulſus*, ſcilicet, *frequens*, ſi ſecundum hanc *Hypotheſin* clarius ſolvi poſſit, tunc non ſolum eam firmabit, verum eorum ſententiam evertet, qui ex eo quod *Pulſus* in *Febribus* frequentius vibretur, *Sanguinem* ideoq; velocius circulari tuentur.

LIX. Ad *Phænomenon* igitur illud, *Pulſum* nempe frequentem, commode ſolvendum; animadvertendum eſt, Corpus humanum mirabilem ſane eſſe *Machinam*, atq; illud non ſolum, ſicut aliæ *Machinæ* ſolent, ſui motus, tam efficientem, quam finalem cauſam habere.

LX. Quemadmodum etiam in *Machinæ* alicujus ſtructura & ædificatione, *Cauſæ finalis* idea eſt in mente *Architecti* ante *cauſæ efficientes ideam*, indubie hoc efficiet *ideam* cauſæ *efficientis* motus in *Machina*, formari cum reſpectu ad *ideam* cauſæ finalis. In ſtructura pariter *Machinæ*, cauſæ efficientis motus conſtructio, ad finalis exigentiam indubie modulabitur, id eſt, ut motum fini debitum, ſuperatis impedimentis *Machinæ* debite aſſequatur; *Efficiens* ergo debet eſſe præditum *facultate* & *energia*, vim ſuam intendendi pro ratione impedimentorum quæ contingunt, ut *Machina* debitum ſuum, ſcilicet, aſſequatur finem, in quantum ſaltem *Mechaniſmi* ſtructura patiatur; uti in *Horologio* conſpicitur, cujus *Elater* ita adaptatur, ut vel intendi, vel remitti poſſit, pro fine

fine nimirum ſui motus aſſequendo: Plus quam probabile inſuper eſt, tam in motu naturali, quam artificiali, ſolummodo *finem* eſſe, qui tum *efficientem* ponit, tum *eam* ad operationem excitat: Per hunc ergo *finem*, moderari ae regulari omnino debet illa *efficiens*, in intenſione, ſcilicet, ac remiſſione, prout cernitur, cum *Nautæ* aquam exantlant: Hic motus *Antliæq;* agitatio, pro ratione aquarum in navim irrumpentium, ſemper moderatur; magna undarum irruptio, ſtrenuam ac frequentem, minor vero irruptio moderatam *Exantlationem* ſolum requirit. Pari fere modo, opinor, fieri in *Pulſu Cordis* atq; *Arteriarum*, qui cum ſint cauſa efficiens motus *Sanguinis* (neq; inepte comparantur *Antliæ*) illorum enim motuum finis eſt, *Sanguinis* deſtributio pro nutrimento totius corporis, idq; pro exigentia ſolum *cauſæ finalis*, id eſt, ratione tantum diſpendii, pro illius enim ratione, *æconomia animalis* reparari ſolum exigit: Corpora quippe noſtra, continuo fluxu conſtant (quod iis omnem conſtantiam denegare videtur) partibus, ſcilicet, novis, in veterum deperditarum locum continuo ſuppeditatis: Veluti in flumine, quod nihil ſane *Identitium* niſi Canalem habet.

LXI. Hæc igitur *Oeconomiæ* motus cauſa finalis, efficientem poſcere videtur, (num hæc efficiens vocetur *Archeus*, vel *Spiritus animales* &c. non eſt hic diſputandum, certum tamen eſt tale quid ſeu primum impellens in corpore dari) quæ aptitudine ſit prædita, non ſolum ad hunc motum continuandum, verum etiam ad eum pro ratione exigentiæ *finalis* incitandum; veluti quando quælibet circuitus *San-*

gui-

guinis remora intervenit, ad hanc ſuperandam, neceſſe eſt, *efficientem* motus *cauſam* proportionaliter intendi ad ſuperandam nimirum iſtam remoram, finemq; motus aſſequendum, in quantum ſaltem (ut dictum) *Mechaniſmi* compages capere poteſt. *Si* enim aliter eſſet, quodvis impedimentum, æqualis etiam *momenti* aut *reſiſtentiæ*, moderato & ſolito *Sanguinis curſui* interpoſitum, ejus ſtatim motum perimeret: Atq; etiam in *Fluvio*, quædam eſt hujus *facultatis* ſimilitudo, ex alio quamvis principio efficiente, parem tamen propter *finem*: Quælibet enim impedimenta obiceſve, ad *fluvii* curſum impediendum appoſita, gravitate aquarum cito ſuperantur: Si enim aliter fuerit, læve aliquod impedimentum æqualis momenti aut reſiſtentiæ ſolito *fluminis* curſui, aut forte aut conſilio appoſitum, *fluvii* ſtatim curſum intercideret, magno humani generis incommodo, nec minore fabricæ mundi vitio.

LXII. Cum itaq; ad *Oeconomiæ animalis* reparationem, tum tempore tum quantitate, in proportione ad diſpendium, alimentum invehi debeat; in violento igitur corporis motu, ubi diſpendium eſt longe ultra ſolitum, neceſſe eſt quod Pulſus accelerétur, ad reparationem diſpendio proportionalem ſuppeditandam; atq; tunc *Pulſus* etiam & *Reſpirationis frequentia*, ac *magnitudo* inſignitur augetur: Huic tamen *Pulſus* incremento anſam etiam præbere, attendum, ut ante dictum, *Sanguinis craſſitiem*, in omni motu quoq; auctam.

LXIII. Cumq; ita ratione diſpendii ſolito majoris uti in corporis motu; aut etiam ratione *Sanguinis*

cra

craſſitiei, uti in *Febribus* evenit, aut ratione utriuſq; *Cor* & *Arteriæ* ſupplementum tum tempore tum quantitate debitum, *ſolitis pulſibus* ſuppeditare nequeunt; tunc *ictus* præcipitando, *pulſuumq;* intervalla coanguſtando, ſive ad *Alimentum* diſpendio *proportionalem*, ſive ad hujus motus difficultatem ſuperandum, *Cor* & *Arteriæ* ſtimulantur, *Sanguiniſq;* motus *tarditatem*, *vibrationum duplicatione* corrigere nituntur; ut debitam, ſcilicet, quantitatem, debito tempore ſuppleant *Alimentum.*

LXIV. Verum ſi non obſtante, ſedulo hoc *Cordis* & *Arteriarum* conamine, *Sanguinis* illa *tarditas*, per continuam cruditatum invectionem, uſq; adeo incrementum ſumat, inq; *vaſis capillaribus* plures *circuitus* obices ponantur; tum recta ducitur ad *januam* & *porticum Mortis*, *Mors* enim nihil aliud eſt, quam *diſtributionis Alimenti animalis* totalis ceſſatio.

LXV. Si cuivis dubium adhuc remanet de dictis, quod hæc *Oeconomiæ facultas*, cum ſolum ſit *naturalis*, *animaliq;* tantummodo propria, uti ſupra deſcribitur rationis actui, ſeu actioni voluntariæ, & propter finem quoq; agenti, plane æquipollet: Ad hoc dubium ſolvendum, opinor, cuivis obvium eſſe, in *Animalium* fabrica externa, *Naturam* tantum conſilii & rationis adhibuiſſe; ut palam ſit *Ideam* finis, integram animalis regulaſſe ſtructuram: Atq; ita illius *fabrica* in talem erecta eſt perfectionem, ut cenſura vel maxime rigida, nullum vitium aut defectum obſervare poſſit: Uti in *Tractatu de cauſa finali rerum naturalium*, per *Nobilem* & *Doctiſſimum Boilæum* illuſtratur: Anne ergo putandum eſt, *ſapientiſ-*

tiſſimum Architectum non exornaſſe internas animalium partes & functiones, facultatibus requiſitis pro re nata, ſive animalis exigentia, exercendis Deeſſet precor! *Creator miſericors*, in perficiendo hac fundamentali functione *diſtributionis*, ſcilicet, *Alimenti*, eamq; relinqueret quibuſlibet minimis obſtaculis, obnoxiam, ſtatimq; perimendam & convellendam? Unde quolibet momento in ruinam *Animal* præcipitaretur. Cumq; *Animalia* facultate velocitatis gradus intendendi prædita ſint, qua externa imminentia fugiant pericula, quid quæſo vetat quo minus ſimili interna quoq; facultate fruantur, qua interna ſæpe impendentia pericula quoq; caveant?

LXVI. *Animalis* quoq; conamina interna, *irritationi* vulgo adſcripta, quandamq; hujus *facultatis* ſimilitudinem referentia, an non *actionem propter finem, ſeu rationalem*, huic jam deſcriptæ æqualem plane evincunt? Impreſſio enim parti alicui ingrata, ſtatim a *Cerebro* ipſius ſenſus ac motus fonte ſentitur, cui ſublævandæ *Cerebrum* fideliter conſulit, partiq; quærenti ſuppetias mittit, ad materiam irritantem excutiendam, maxima enim conanima, & impetus inibi excitando, membrum dolens liberare laborat: Nonne igitur probabile eſt, partium *inediam* (tam ſane queruloſam quam earum *oppreſſionem*) æque ſublevandam eſſe, in quantum ſaltem *Oeconomiæ* motus *Lex* ſive *Genius* ferat?

LXVII. *Actio* præterea *naturalis*, huic plane æquipollens, in *Oculi pupilla* clare conſpicitur: *Pupilla* enim abſq; voluntatis arbitrio, contrahitur & dilatatur

tatur, quantum ſufficiat *ſpeciebus viſivis* in *Retina* diſtincte pingendis: Dilatatur enim *Pupilla* in parvo lumine, ut ſufficiens lumen in oculum immittatur, contrahitur viciſſim nimio lumine, ut tantum quod ſatis eſt recipiat.

LXVIII. Quantumvis in *Febribus Phænomenon* quandoq; occurrat, huic ſolutioni accelerationis, ſcilicet, *Pulſus* apparenter oppoſitum: Illud tamen ſecundum eam ſolvi poſſe arbitror; atq; illud eſt, ubi in *Febribus* iiſq; etiam funeſtioribus, *Pulſus* nihil ſolito frequentior eſt. Hoc in caſu opinor *Pulſus* tarditatem pendere ex eo, quod primum *impellens*, ſeu primus in corpore *motor* ſit illaqueatus, vinctus aut ſtupefactus; nec exigentiis *Oeconomiæ animalis* debite auſcultet, neq; vim ſuam ad languidam *Alimenti* diſtributionem ſubveniendam intendat. Et hic caſus periculo non vacat, ea enim de cauſa *Animalis æconomia* in exitium plerumq; ruit.

LXIX. Si ſolutio hæc de *Pulſus frequentioris* cauſa & modo non placuerit, aliam proponimus ſolutionem, *mechanicis legibus* magis forſan conſentaneam.

LXX. Opinor quidem *Pulſum* in ſanitate integra minus eſſe *frequentem*, quam *in ſtatu morboſo*, præſertim, ſcilicet, *Febrili*, & hac maxime de cauſa: In ſtatu quippe *Sanitatis*, *Arteriæ* magis *dilatantur* & magis *contrahuntur*, quam in ſtatu *Febrili*: In ſtatu enim ſano, cum *circuitus Sanguinis* vegete & integre perficitur, certum eſt qualibet *Arteriarum contractione*, totum fere *Sanguinem arterioſum*, ex iis in *Venis* exprimi: *Arteriarum* ideoq; *tunicis* prope centrum ſuum contractis, plus requiritur temporis ad *earum dila-*

tationem, quam in ſtatu *Febrili*, ubi *Sanguinis circuitus* ob cauſas ante dictas languide perficitur, contentiq; *Sanguinis* pars minima in *Venas* exprimitur: Maxima enim *Sanguinis contenti* pars in *Arteriis* adhuc ſtagnans, impedit earum *Contractionem* prope centrum: Citius ideoq; reſiliunt & tactum feriunt in *dilatatione*, quam in priore caſu, ubi *Arteriæ* de *Centro* in ultimam ſuam extentionem *dilatantur*: cum igitur in ſanitatis ſtatu, *Contractionis* & *Dilatationis* limites magis diſtent, quam in ſtatu *Febrili*, ubi contractio *Arteriarum* eſt minima, neceſſe ſane eſt ut *Pulſus tactum* rarius feriat, quam in *ſtatu Febrili*, ubi *Contractionis* & *Dilatationis* limites minus diſtant. Atq; in utroq; quidem *ſtatu*, *Pulſus* vibratio quoad *frequentiam*, modum ſemper tenet, pro menſura & extenſione *Contractionis*: *Contractio* enim *Arteriæ* intima & prope centrum, *Dilatationem* & *Pulſum* efficit *rarum*: *Contractio* vero minor & ſuperficialis *Dilatationem* quoq; & *Pulſum* frequentem neceſſario parit.

Hujus etiam *Phænomeni* ſimilitudo clara in *Reſpirationis* actione conſpicitur, quæ in naturali ſtatu eſt *rarior*, ac plus *Aeris* in *Pulmones* inſpiratur, plus etiam qualibet vice expiratur, pectoris nimirum *Dilatatione* & *Contractione*, quam in *reſpiratione* anheloſa & frequenti.

LXXI. Similiter plane fieri videtur in *Sanguinis* motu: Certum enim eſt *Cor Sanguinis* quantitatem in *Arterias* ſolum propellere, pro modo & ratione, quo *Arteriæ* in *Venas* inaniuntur; quodq; etiam *frequentes* & *breves Arteriarum vibrationes*, minus *Sangui-*

guinis in *Venas* immittunt; conſtabit exemplo *Antliæ Hydraulicæ*, per breves enim ac frequentes ejus baculi vibrationes, minus aquæ quam per longiores ac rariores effunditur; præſertim caſu, quo liquor exantlandus vel *craſſus* eſt & *viſcidus*, vel *epiſtomium* minus adaptatum, vel foramen deniq; *Antliæ* quovis modo obſtructum eſt. Hiſce quidem caſibus, magnis & frequentibus baculi *vibrationibus* fruſtra exercetur *Antlia:* Frequentes itaque *Arteriarum vibrationes* minus *Sanguinis* in *Venas* propellunt, cum *Sanguis* ipſe eſt *craſſior* & *viſcidus*, ſive cum *meatus* inter *Arterias* & *Venas coangustati* aut *ſcabritie obſiti* ſunt. Certum enim eſt, eo *caſu* plurimum *Sanguinis arterioſi* in vaſis ſtagnare, ex quo *Tunicarum contractio* in *centrum* omnino impeditur; ideoq; citius in *diaſtole* reſiliunt in tactum *Arteriæ*.

LXXII. In *Agonizantibus* porro *Pulſus* tam frequens cernitur, ut magis *trepidationem*, quam diſtinctam *Syſtolen* & *Diaſtolen* referat, quodq; ex eo fit, quia *Arteriarum contractionem* minimam, ſtatim ſequitur *dilatatio:* Hoc itaq; in caſu *Sanguinis arterioſi* fere nihil in *Venas* exprimitur: *Circuituſq; Sanguinis* in totum fere perimitur.

Quamvis *Pulſus frequens*, *Febris ſignum pathognomonicum* vulgo ſit nuncupatum, in plurimis tamen *Febribus*, ut ante obſervatum eſt, *Pulſus* non eſt ſolito frequentior.

LXXIII. Si prior hujus *Phænomeni* explicatio, non ſatisfacit, hanc modo dictis magis *Analogam* propono: *viz.* Quantumvis in hoc caſu *Sanguinis circui-*

tus æq; tarde perficiatur, ac ubi *Pulſus* eſt *frequens:* Opinor tamen *Velocitatem contractionis* & *dilatationis Arteriarum*, hic quoq; eſſe *læſam:* Atque ideo parvam hanc *contractionem* & *dilatationem* tarditate ſua, tantum conſumere temporis & tam raro tactum ferire, quam in ſtatu ſano, ubi *Arteriæ* contrahuntur ad *centrum*, totumq; *Sanguinem* in *Venas* expellunt; rurſumq; ad extimam amplitudinem dilatantur. Eo igitur in caſu arbitror, tum *velocitatum*, tum *extenſionem Contractionis* & *Dilatationis Arteriarum* eſſe læſam.

LXXIV. In *Febribus* inſuper aliud eſt *Pulſus* vitium, *Pulſui frequenti* etiam affine, quodq; illi adjunctum quoq; eſſe ſolet; periculoſum quidem *ſignum*, nempe *Pulſus parvitas*, quæ cauſam hanc agnoſcit, *Arteriarum*, ſcilicet; *tunicæ in dilatatione* parvum tantum efficiendo *circulum*, parvumq; veluti in puncto ſolummodo, tactui ictum imprimunt, ex eo quod parum tantum *Sanguinis arterioſi*, a *Corde* in *Arterias* immittitur, aut quia *Sanguis* ille minus *rarefactus*, *Spiritibuſq;* *turgens*, parcius *Arterias* expandit; e contra vero, cum *Sanguinis* copia *Spiritibus* turgida, in *Arterias* immittitur, *Arteriæ* tunc *expanſione larga magnum facientes Circulum*, magnum ſive amplum tactui ictum imprimunt: Hæc itaq; *Pulſus parvitas*, videtur eſſe *dilatationis Arteriarum læſio*, & ut labentis *Oeconomiæ* eſt *Prodromus* ad illius totale excidium viam ſane ſternit.

LXXV. Cumq; *Febris* incrementum aut *Decrementum*, *Pulſus* majorem aut minorem *frequentiam*, ut plurimum ſequitur; ſummæ igitur utilitatis eſſe opinor, minimas *Pulſus* alterationes, quoad frequentiam,

tiam, nempe, diligenter metiri, ac ſerio perpendere; ex quarum obſervatione, tum de *Iuvantibus* & *Lædentibus*, tum *Prognoſeos* judicium tempeſtivum & ſolidum *Medico* ferre licet: *Pulſus* enim variationum menſuram debitam & requiſitam, ex conjecturali calculo, ope ſolius memoriæ abſq; fixa certaq; *Regula* aſſequi poteſt nemo: Facile tamen & certiſſime in hunc modum obſervationem ad unguem fieri comperii: Soleo enim ego *penduli* alicujus vibrationes *Pulſus ictibus* ad amuſſim adaptare, id eſt, efficiendo, ut eodem temporis ſpatio, *Pulſus* & *Pendulum*, numero æquales compleant *Vibrationes*, *E. G.* tempore quo *Pulſus* viginti dabit ictus, adaptando *pendulum* etiam utviginti *Vibrationes* det. *Pulſus* itaq; *conſtantia*, illuſve *inæqualitas* in *frequentiæ incremento* nempe vel *decremento*, ad amuſſim, hoc modo probabitur, ex quo *Medicus indicationes* circa *juvantia* ſcilicet & *lædentia* ſolidiſſimas, imo & *prognoſin* tempeſtivam & certam capeſcere poterit. Hoc pariter artificium *Pulſum* exacte metiendi, æq; *Medico* neceſſarium eſt, ac *Nautæ* inter *Syrtes* ac *Brevia* verſanti, *lineam* habere *perpendicularem*, diſtantiis diſtincte quoq; notatam, ut altitudinis undarum *incrementum*, aut *decrementum* clarius probet; ſine enim diſtantiarum notis in *linea*, minime poteſt certo, maris *altitudinem* menſurare. Ita porro *Medicus* minimas haſce *Pulſus* variationes, multo certius aſſequetur, per dictum ex *Pendulo calculum*, quam vaga & incerta conjectura: Cui nequaquam in rebus multo minoris momenti, credere ſolent homines; eum quoad quantitates rerum *fungibilium*, conjecturis

in-

incertis non credant, ſed eas *menſuris* & *ponderibus* definitis libratas ac menſuratas, ne fallantur, omnino exigunt; *Pulſuum* etiam *alterationes*, tam lente & obſcure procedunt, ut qui eas conjectura vaga aſſequi conetur, æq; fruſtra erit, ac is qui in *Horologio* motum, uno oculi ictu deprehendere nitatur.

LXXVI. Quod illud *Phænomenon, Urinæ*, ſcilicet, *Concoctionem* in *Febribus* attinet, *illud* etiam ſecundum hanc *Hypotheſin* commodius explicari autumo. Cum enim *Urina* craſſioribus particulis fundum verſus deſcendentibus, ſaturata conſpicitur, tum *Febris* ad optatam *Criſin* vergere prædicitur: Idq; non ſine ratione, *particulæ* enim *craſſæ* & *crudæ*, modo in *Sanguine* libero ejus *Circuitui* obſtantes, jam eliminatæ cernuntur.

LXXVII. Ad *practica Febrium Phænomena, Juvantia*, ſcilicet, & *Lædentia*, jam properandum eſt; ut videamus quod & quale huic noſtræ *Hypotheſi* ſuffragium dederint; ſitq; ergo primum *Venæſectio*, quæ omnium fere conſenſu in *Febribus* ſumme utilis prædicatur, clare enim conſtat, corpus per *Phlebotomiam* refrigerari, *Pulſumq;* miteſcere, cunctaq; fere dira *Symptomata* allevari: Adeo ut *Ebrietatis Febrim* atq; *furorem, Phlebotomia* celebrata etiam lenit: Sed quomodo hæc omnia fiant, jam indagandum reſtat. Certiſſimum ſane eſt, proximum & immediatum *phlebotomiæ* effectum eſſe, *venæ ſectæ inanitionem*; neceſſario dein ſequitur, *Venam Cavam* aliquatenus inaniri, ob defectum aut carentiam regreſſus *Sanguinis* per *Venæſectionem* emiſſi; intercepto, ſcilicet, Sanguinis effuſi regreſſu ad *Venam Cavam*: Hanc *Venæ Cavæ in-*

ani-

nitionem, necessario proxime sequiturin *cavam* ex aliis *Venis* liberior *Sanguinis* introitus: quem demum sequitur omnium *Venarum* particularium *detumescentia*: remota itaq; *Sanguinis venosi turgescentia*, & *momento resistentiæ* in *Arterias* detracto, certissimum est *Arterias* vegetius ac liberius *Sanguinem* in *Venas* propellere: Atq; ita *obstructiones* & *remoras* in *angustis meatibus* hærentes everrere: Cum ante *Venesectionem*, ex *Sanguinis venosi turgescentia*, ut ex illius *contranitentia*, *Sanguinis arterioſi* pressuræ æquali, (suppositis simul *obstructionibus* aliquot intermediis meatibus latitantibus) nil mirum si *Sanguinis circulatio tarde* ac *languide* perficiebatur. Non absimile pari *phænomeno* in *Molendino*, cujus *rotæ motus* sistitur a *restagnatione* aquarum infra rotam: Quia *gravitas* & *resistentia restagnationis* æqualis est *gravitati aquæ*, quæ in *rotam* incidendo eam moveat aut circumrotet. Cum vero *Aquarum* illa *restagnatio* subsidit, tum circumgiratur statim *molendini rota*. Pari sane modo, opinor, subitam *Venarum depletionem*, quatenus *contranitentiam Sanguinis venosi* in *Arteriosum* removet, *Arteriis* liberius in *Venas* inaniri ansam præbere; hos quoq; *angustos meatus*; inter *Arterias* & *Venas*, eodem labore purgari & poliri certum est.

LXXVIII. Reliquis *Phlebotomiæ* effectis pensatis, tam hanc solutionem, quam principalem *Hypothesin* ut opinor firmabunt, veluti *Phlebotomiæ* in *Hemoragiis* beneficium, quod ab *Effervescentiæ* rapidiq; *Sanguinis* in *Febribus* motus *Patronis*, suis favendum *Theoriis* violenter torquebatur: Sed hoc *Phænomenon* rite eventilatum, ut eorum sententiam evertat, ita

non-

noſtram uti ſpero confirmet. *Hæmorragiæ* enim i *Febribus* præſertim contingentes, ut plurimum fiun ex eo, quod *Sanguis* non pari paſſu recipitur a *Ve nis*, quo mittitur ab *Arteriis*, & non quod magis ra pide per *Vaſa* circularetur: Quia tum nulla daretu ei occaſio ſecedendi, ſed potius quia in *Circuitu* re moratur, *Vaſa* ſua rumpit, & effluit: Cujus propri um remedium eſt *Phlebotomia*, quæ *Venarum tur geſcentiam* minuens, earumq; in *Arterias contraniten tiam* tollens, *Sanguiniſq; circuitum* redintegrans, oc caſionem *Sanguinis* in ſeceſſus deviandi, aut *Vaſ* ſua rumpendi omnino tollit.

LXXIX. Hic obiter obſervandum, quod ſecun dum hujus *Hypotheſeos analogiam*, clare etiam enu cleatur, qua ratione ſuperiorum *Venarum ſectio*, di verſum, ab inferiorum *Phlebotomia*, effectum habet.

LXXX. Notandum igitur quod dum *Vena* ſu perior ſecatur, tum *inanitio* in ſuperiore *venæ cavæ ramo* primum ſequitur; unde neceſſario, *Sanguis* in ferioris *rami cavæ*, pleniore flumine fluit in *Cor*: Plus ergo *Sanguinis* per *inferiorem Corporis Vorticem* pro tempore *circulabitur*, quam per *ſuperiorem*: Motus tamen *Sanguinis* in *ſuperiore Vortice* erit velocior, modo patentes ſint ſinguli *meatus*, præſertim in *Cerebro*; ſi vero obſtructiones plurimæ in *Cerebro*, ſive *meatuum*, inter *Arterias* & *Venas ſuperioris* Vorticis, coanguſtationes contumaciores ſint; atq; *Sanguinis circuitui* obſtiterint, ut ſæpe in *Febribus* contingit, tum *vaſorum* ſuperiorum *Veneſectio* nihil aut parum proficit. Hoc itaq; caſu, longe utilius videtur, inferiores *Venas* aperire, quo *Sanguinis* fluvius *inferiora*

riora verſus derivatus, parcius per *Arterias* ad *Cerebrum* aſcendet: Unde *Arteriarum* in *Cerebro* inanitio quædam neceſſario ſequitur, quo datur occaſio, *Arteriarum tonum* redintegrandi, *Sanguiniſq; extravaſionem* præcavendi; qui pernitioſus ſane *affectus* in *Febribus* male tractatis frequenter nimis contingit, hoc ſcilicet modo, *Sanguinis* enim in *Cerebro ſtagnatio*, & ex *obſtructis meatibus* inter *Venas* & *Arterias turgeſcentia*, novi *Sanguinis* appulſu continuo augetur, *Vaſorumq;* ruptionem & *extravaſationem* certiſſime minatur, ex quo periculoſa *Febrium ſymptomata* plerumq; oriuntur. Commodiſſimum ideo in *Febribus* videtur, ubi *Phlebotomiæ indicationes*, *Cerebriq;* graviter obſtructi ſigna adſunt, ob cauſam antedictam, ex *Venis* inferioribus *Sanguinem* elicere, idq; adeo repetendum, interjecta quoq; *Veneſectione*, ſuperiorum modo indicetur, quamdiu *Symptomata* hæc urgeant, & vires permittant. Certum quoq; eſt *Veneſectionem* pedis minori virium diſpendio, meliuſq; tollerari quam ſuperiorum *Veneſectionem*. De quo vide *Ingenioſum Donkerum* tract: *de Feb. petech: Cap: de Veneſect:*

LXXXI, In *Febribus* licet *Sanguis* emiſſus quandoq; *coagulari* neſcit, ex quo quidam, rem non ſatis perpendentes, ejus tenuitatem deducere conantur; *Phænomeni* tamen hujus recta enucleatio, contrarium plane, ut opinor, docebit, & *Hypotheſin* noſtram optime quoq; firmabit: *Sanguis* enim in *Febribus* emiſſus coagulatur, *grumo*, ſcilicet, *deſcendente*, ſero vero ſupernatante, ex eo quod *ſerum* tenuitate & lævitate debita donetur, & *Grumoſitas* ſive *Sanguinis*

ſolidæ partes debita ponderoſitate & craſſitie ſin quoq; prædita, ad ſeparationem efficiendam: Ex læ vitate itaq; & tenuitate *Seri*, *Grumus* ſubſidit: at ex *Grumi* ſubſidentis *pondere*, tenue *Serum* ſupernat Sed ſi poſt *Sanguinis* refrigerationem, *Serum* ac *Gru mus* confundantur ac miſceantur, clare indicat, *Ser tenuitatem* a viſcoſitate vitiatam, vel *Sanguinis craſſio res particulas* in pondere aut dimenſione pariter *vi tiatas*, vel *utrumq*;: Atq; ita *Sanguinis Globuli* in *Seri* am plexibus retinentur, & ratione *æquipondii* utriuſq;, nu la fit *præcipitatio* ſive *craſſiorum* a *tenuibus ſubſidentia*

LXXXII. Inter *Phænomena practica* etiamq; *ju vantia* in *Febribus* jure cenſetur *Purgatio*, idq; ſecun dum *Silvium lib*: 1. *praxis Cap*: 29. *Riverium lib*. 16 *Fernelium in libro de Febribus & Guidonem Patinum in epiſtolis gallice ſcriptis primo vol*: *Epiſt*. 26. *Donke rum in idea Febris petechealis*, & *deniq*; *ſecundum Cla riſſimum Sydenhamium in Sched*: *Monitoria*.

LXXXIII. Quamvis *methodus* in *Febribus purgan di*, ab his aliiſq; *celeberrimis Viris* laudetur, ea ta men, ob mala quædam *purgationem* quandoq; con ſequentia *Symptomata*, in diſſuetudinem fere abiit: Donec *Nobiliſſimus* ille *Sydenhamius*, uti in *Sched* ſua *Monitoria* publicavit, *Phlebotomiam* immediate ante *purgationem* celebrando, & *paregoricum* imme diate poſt eam adminiſtrando, *Methodum* hanc pur gandi in *Febribus* ante incertam & vacillantem om nino perfecte muniverit & adornaverit.

LXXXIV. *Purgatio* igitur in *Febribus* hiſce præſer tim cautionibus adminiſtrata, non ſolum erit ſecura & efficax, ſed ob rationes hic adjectas, *Hypotheſin* noſtram *Febrium*, optime quoq; firmare valet.

LXXXV. Prima ergo *Cautio* ſit, ut *purgationi* ſim non ſolum *Phlebotomia* ſit præmiſſa, verum etiam la immediate ante *purgationem* ſit celebrata: Hac qui- ate dem de cauſa, probabile quippe videtur, omnem nat in corpore tumultum *orgaſmumve* cum doloribus & Gru anxietatibus conjunctum, ex harum *cauſarum com-* Ser *plicatione* oriri, proq; earum vero intentione pari- ſſio ter intendi. Ex *energia* viz. atq; *activitate* facul- vi tatis *Impellentis*, ſeu *Spirituum exploſione* impetus am fruſtraneos excitante, ſive ad medium debi- nu tum tranſeundum, ſive ad materiam debitam per ti proprios *meatus* convehendum: Hi vero impetus ju fruſtranei ſunt, vel ob *materiæ* ineptitudinem, id eſt, un illius *craſſitiem*, vel ob *meatuum anguſtiam* aut *ſca-* 16 *britiem*; atq; hi exploſivi & fruſtranei motus termi- um nantur in colliſiones & repercuſſiones in parietes & ke *Fibras Vaſorum* ac *Viſcerum*, inibi inducendo *mole-* la *ſtias*, *anxietates*, *irritationes*, *ſpaſmos*, &c. *Viſceribus* aliquot primario, aliis per conſenſum affectis.

an LXXXVI. In quo tumultuante *ſtatu*, functiones ta debito alimento deſtitutæ, in officio languent & ſuc- on cumbunt: Cum hic ſit fere corporis *ſtatus* in ca- it ſu *Febris*, aut ſaltem magna adſit diſpoſitio ad ta- d lem ſtatum, ſi tum accidat *Cathartici ſtimulativa* ac te *irritativa vis*, ſive in actuali *orgaſmo* ſive in diſpo- e ſitione ſolum ad eum, *tumultus* neceſſario orietur, r vel antea ortus indubie intendetur, ex commotis n ſcilicet per *Catharticum humoribus*, quorum parti- culæ aliquot *viſcoſæ* & *craſſæ* in *ſanguinem* agitatio- r ne delatæ, ibi novas *tragœdias* agunt.

ra LXXXVII. Sed per *Veneſectionem* jamjam celebra- in

tam, *obſtructionibus* aliquantulum reſolutis *curſuq: ſanguinis* quodammodo reſtituto, *ſpiritus incitati* & irrtati *crudiq*; *humores a Cathartico* ſuſcitati, per patentes meatus moventes *nullos* excitant tumultus: *Hæ*itaq; *particulæ craſſæ* & *viſcoſæ* per *Catharticum* excitatæ, a motu *ſanguinis* vegeto, per patentes aditus *inſenſibili perſpirationi* cito eliminantur.

LXXXVIII. Secunda *practica* Cautio in adminiſtratione *Purgantium* in *Febribus* ſit, ut purgantium *Doſes* adminiſtrandæ, ſalibus volatilibus probe impregnentur, ex quibus *Orgaſmi*, *Anxietates* & *Deliquia* inter operationem plerumq; oriunda, ſecure præcaveantur: Sed ſi in preſente corporis *diſpoſitione*, talis adſit ad *Orgaſmos* proclivitas, ut *Volatilia* hoc modo adminiſtrata, non eas cohibere valeant, omnino id efficaciter fiat, *Volatilium* in vehiculo idoneo tempore operationis *Cathartici* repetita adminiſtratione, quorum vi ac virtute *Purgatio* deſideratum *exeret* effectum, abſq; periculoſo aut noxio aliquo *ſymptomate*: Cujus quidem ratio videtur eſſe hæc, quod *Volatilia purgativis* ſuperaddendo, ubicunq; *purgativa ſtimulativam* exercent vim, attenuante & aperiente Volatilium virtute ipſis copulata, *Catharticorum* operatio facilis & mitis redditur: Atq; hæc *ſymptomata* operationem purgantis medicamenti quandoq; comitantia plurimos medicos ab hujus methodi uſu deterruit & adhuc deterret, qui hoc remedium facile & efficax ignorarunt.

LXXXIX. Tertia atq; ultima *practica Cautio* de *purgantibus* in *Febribus* adminiſtrandis eſt *Paregorici* ſive medicamenti *Pacifici* poſt *purgationem* uſus

ſus: Eoq; maxime caſu eſt adhibendum, cum nempe morbi *fomes* ſive *cauſa antecedens* tam copioſa eſt, ut ex *Cathartici* operatione ſolum turbata aut excitata, plures in *Sanguinem* cruditates immittat, quam ipſius *Circuitus* vix adhuc integer, ſubjugare valeat: Quod certo dignoſcitur ex *Anxietatum* aut *Inquietudinum* ingruentia, poſt finitam *Cathartici* operationem: Tum opportune advenit *tertium* atq; ultimum illud in *Febribus auxiliare*, ſola ſcilicet, *Clar: Do: Sydenhami inventio*: Hæc enim occaſio *paregoricum* non ſolum ſecure ferat, verum ejus opem plerumq; obnixe implorare videtur; cujus uſu non tantum demulcentur hæ *ſtimulationes* in *Spiritibus* ex commotione cruditatum impreſſæ; Sed *Viſcidorum* etiam *humorum* ſequacitas, *craſſiorumq;* attenuatio efficaciter promovetur, placidus quoq; inducitur ſomnus, qui cunctas refocillando functiones, *materiæ* huic craſſæ *attenuandæ viſcoſæq;* ſubjugandæ atq; ita & *Perſpirationi* eliminandæ mire etiam confert.

LXXXX. *Tumultu* itaq; orto ex *Cathartici* operatione compreſſo, *Catharticum* aliud, induciis ope *Paregorici* conceſſis, adminiſtrari poteſt, poſt cujus *operationem*, & deductam ſimul *fomitis morbi* partem, *tumultus* ex illo oriundus, ſubſequenti pariter *paregorico* ſedari poſſit: Atq; ſic commode & ſecure *purgare* quoq; & *pacificare* viciſſem liceat, prout *fomitis* copia, aut tenacitas depoſcit. *Cathartico* energiam ſuam optatam exerente, abſq; ullo incommodo aut noxa, uſq; ad totius *fomitis morbifici* conſumptionem, *cauſæq; antecedentis* extirpationem, cui extirpandæ, vix aliquando ſufficient ſexies repetita *Cathar-*

thartica, eaq; etiam fortiora, in contumacioribus, ſcilicet, *Febribus*: *Lævamen* vero quodvis *Catharticum* immediate ut plurimum ſubſequens, *Cathartici* reiterationem facile ſuadet: Expertus loquor.

LXXXXI. Quod *fomitis* quædam reliquia attinet, quæ *Cathartici* vires eludentia, & adhuc in *Sanguinis* maſſa fluctuantia, moleſtiam & ægritudinem creare poſſunt: Hæc quidem reliquia (Concoctionis ſignis præſertim in urina apparentibus) *Paregorici* uſu (adjunctis ſi opus ſit *ſalibus volatilibus* & *teſtacies*) adhuc continuando, facillime attenuentur & diaphoreſi eliminentur: Virtute enim *Diaphoretica paregoricum* notabiliter eſſe præditum, teſtantur *Cl. Authores* uti *Wedelius* in *ſua Opiologia* & *Etmullerus* in *Virtute Diaphoretica Opii*, qui alios plurimos Authores idem ſentientes inſuper nominant: *Paregoricum* etiam inducendo ſomnum, aut ſaltem quietem placidam, *Perſpirationi* retentæ eliminandæ optime confert: Secundum *Sanctorium Sect.* 4. § 11, 13, 18, 19. &c.

LXXXXII. Et mirum quam naturæ gratum ſit hoc *Diaphoreticum pacificum*, cum œconomiæ funeſta ex tumultu conſternatio plane imminet: *Natura* enim *luctamine* cum morbo defeſſa, inducias letius amplectetur, ut quaſi conſilium ad deliberandum ineat (quod nunc ſecurius fiat viribus hoſtis *Cathartici* virtute aliquatenus interciſis) utq; conſulta exæquetur: Cui optime conferunt *quies* & *ſomnus*, hoc præcipue ordine ac methodo comparata, in hoc itaq; laudandum eſt *Paregorieum*, quod vi *Diaphoretica*, una cum *ſedativa* polleat; in quo cætera cuncta

Dia-

Diaphoretica longe excellit, quæ, præſertim ſine debita *purgatione* præmiſſa, uſurpata, ut plurimum eruditates omnes verſus obſtructos meatus præcipitanter nimis ſtimulando, tum *tumultum* ſive *Orgaſmum* excitant aut exaſperant, tum *crudam materiam* in *meatus obſtructos* impactius impellunt: Eodem fere modo ac in domo populo referta fit, cum, ſcilicet, hic populus terrore ſubito perculſus totus ſimul exire niteretur. Hoc omnium ſubitum exeundi conamen, confuſionem talem ac tumultum plane excitabit, ut ſinguli aliorum greſſus impediant, cum patientia ac ordo, facilem omnibus egreſſum concederet, diſtantiores a foribus continendo, dum egreſſu eorum qui foribus proximiores ſunt, via ipſis pateſiat.

LXXXXII. Similiter plane timendum eſt, ne in corpore crudis & viſcoſis ſuccis referto, ingens oriatur tumultus, cum *Diaphoreticorum* impulſu eruditates omnes verſus corporis ſuperficiem impetuoſe feruntur: In quo curſu eruditates in primis viis, primo *Diaphoreticorum* impulſui obnoxiæ, in *Sanguinem* feruntur, quo ejus *circuitus* jam vacillans, magis turbatur, atq; plus præterea *materiæ crudæ* in *Poros* jam ſatis obſtructos impellitur. Sed ad hanc *evacuationem* per *Diaphoretica* fœliciter exercendam, *Natura* atq; ratio plane dictat, via prorſus contraria inſiſtendum eſſe, *primo Poros* aperiendo & *Fibras* roborando, ut *perſpirabilis* retenti exhalationem invitemus: Dein quod proximum eſt, ac cum *Sanguine* miſtum, ad *perſpirandum ſollicitemus*: Atq; demum, ſi unquam fauſte, *primariam viarum eruditates* per

Di-

Diaphoretica ſunt eliminandæ: Quæ omnia, maxime hoc ordine, per interna *Diaphoretica* perficere difficile ſane videtur, ut clarius evincit *Sydenhamius* in *Sched: Monitoria.*

LXXXXIV. Circa *Paregorici* exhibitionem in *Febribus* ſecundum hanc *Methodum*, hæc demum *practica Cautio* ſedulo obſervanda, nempe quod *Paregorici* poſt purgationem *doſis* non tota ſimul, ſed *partitis* aliquot *vicibus* exhiberi cupit, *Doſiſq;* portio uſq; repetenda (operationem prioris aliquamdiu ſemper expectando) donec æger quieſcat; tum enim ratione incertitudinis virium *Paregorici*, tum ex egrorum temperamenti varietate, illius operatio ſæpe anceps eſſe ſolet. Ex quorum itaq; ignorantia aut inadvertentia, *Medicus* exceſſum fugiendo, defectu, tanquam læviori crimine, ut plurimum peccat: Sed en quam fauſte, ſi enim vel una nocte metam *Paregorico* non attingat, *amiſſæ* quidem opportunitatis damna in morbo hoc ſæpe præcipiti vix reſarcire medicus poteſt: Cum ex vigiliis maxime poſt purgationem, *Orgaſmon* & *Tumultuum* caterva ingruens, *Febrem* mire intendit, quæ effrenis admodum evadens, ita ultra limites, ut coerciri non quæat, quandoq; furit & excurrit.

LXXXXV: Hoc præterea obſervandum eſt, quod poſt *Purgationem* in *Febribus* atq; fomitis morbi per ſedes evacuationem, copioſi ſæpe contingunt *Sudores*, morbum ſolventes, quatenus craſſioribus & viſcidioribus ſubtractis Humoribus, tenues fœlicius eliminantur.

LXXXXVI, Atq; inſuper notandum eſt, uti obſer-

ervat *Cl: D: Sydenhamius* in *Sched: Monit*, quod hæc Methodus purgandi aut *Febrem* omnino interimit, ut *Intermittentis typum* induere cogit, & tunc cito orticis *Peruviani* viribus cedit.

LXXXXVII. In curatione pariter *Febrium* per *urgationem* opportune obſervandum (quod etiam ad onfirmationem *Hypotheſeos* ſumme confert) a purgatione ægri ſedes copioſo viſcido phlegmate ſemper refertas dejicere, magno etiam cum levamine; x oris quoq; ablutione cum aqua ſolum frigida, intentem *viſcidi phlegmatis copiam* evacuare ægros olere, cum caloris interni ſubita inſuper temperatione, & ſimili levamine: Quoſdam enim febricitantes ad libras aliquot craſſioris viſcoſiq; hujus humoris, uno die, hoc artificio per os excreviſſe vidi.

LXXXXVIII. Licet in *contumacioribus Febribus*, er aut ſæpius repetitum *Catharticum*, vix remiſionem notabilem adferat, repetenda nihilominus unt *Cathartica*, donec dejectiones viſcidæ appareant, ſive ad *Febris* remiſſionem: Niſi in caſu quo, x nobilioris alicujus viſceris interni Inflammatione, *Febris* pendeat, tum enim magis *Symptomatica* quam rimaria *Febris* dici mæretur, quæ *Veneſectionibus* rout vires ferant, interjectis ſimul *præcipitantibus* x *reſolventibus* præcipue eſt tractanda.

LXXXXIX. In quibuſdam etiam *Febribus* obſeratum eſt, quod neq; *Cathartica* neq; *Enemata* opeationem aliquam habent: Periculoſum ſane ſignum; idetur enim pendere ex eo, quod *Natura* veluti extincta, *Purgationis* ſtimulis nequaquam excitatur.

C. Neve circa hanc *purgandi methodum* in *Febribus* dubium ullum ſit, cum *Diarhea Febrem*, uti frequenter accidit, comitatur: Experientia enim notum eſt, *Diarheam primariam*, *Catharticis* ſecure curari, multiplici ſimul experientia compertum eſt, *Diarheam* hanc *Symptomaticam*, *Purgatione* primo tolli dein *Febrem* ipſam *Cathartico* cedere, expertus quoloquor.

CI. Indubie porro uti *Sydenhamius* etiam obſervat, plurima *Febrium* dira *Symptomata* ex methodo & regimine in ordine ad *Criſin* directo, plerumq; oriuntur: Quod clare pateat, tum penſitando quæ dicta ſunt, tum conſiderando, quot pericula in procinctu undiq; ſtent, in uſu *Methodi* ad *Criſin* colligmantis: In *Intenſione* quippe ad *Criſin*, *Naturæ* ut plurimum ambigua & anceps hæret, num morbi exitus vita vel morte determinetur; ſæpe enim materiæ copia vel tenacitas, naturæ conatus fruſtrando, vel in nullam concoctionem, vel in concoctionem ſine excretione, rem terminare facit: Si ſummo tamen labore concoctionem *Natura* moliatur, excretio debita, per *Metaſtaſin* in alium morbum periculoſum, ſæpe intercipitur, *Materia* nempe *Morbifica* in *Nobile* aliquod *viſcus* internum effuſa: Cum *Methodus* hæc *Purgationis* ſingulis hiſce periculis & ambagibus non ſolitum libera, verum *morbum* in novo plerumq; necans, *Tragædias* ſolitas percurrere nunquam patitur.

CII. Hic inſuper opportune monendum eſt, hanc *Methodum Febres* per *Purgationem curandi*, intra limites unius conſtitutionis *febris* terminandam non eſſe, quaſi

quaſi *ditionem* ſuam in omnes *Febres Continuas* non extenderet: Cum enim *Sagaciſſimus* ille *Author Sydenhamius ingenioſas* ſuas annorum *Conſtitutiones* ex natura *prototypo* delineaverit; cumq; varietatem priorum *Symptomatum* ac *Methodorum*, quæ curationi morborum cuidam *annorum ſeriei* contingunt, nomine variarum *conſtitutionum* ille indigitaverit; Varietatem illam morborum iſtarum conſtitutionum id nihil aliud referebat, quam quod penderet ex *materiæ morbificæ copia*, ſive *tenacitate*, Quæ *Concoctionem* & *Eliminationem* difficilem aut facilem efficeret: In illis itaq; annorum *Conſtitutionibus*, ad methodum *Criſeos*, *Sydenhamius* collimatus, *morbos* ſecundum *genium* & *naturam Criſeos* ſolum tractavit: Ille ergo cum reſpectu ad *curationes* per *Criſin* haſce *annorum Conſtitutiones* tantum diſcriminavit.

CIII. Aſt in hac ultima *Conſtitutione*, de qua in *Sched: Monitoria* ſcribit, incidit in methodum, quam illi *Conſtitutioni* de qua tum ſcribebat proprium ſolum tunc opinatus eſt: Hanc tamen *Methodum* ulterius expendens, invenit eam ab omnibus aliis prioribus *Methodis* toto quidem cœlo differentem, nec eam eſſe *Methodum* in ordine ad *Criſin*, verum *morbum* omnino eradicantem, *Criſimq;* ſecure & commode intercipientem; ille igitur non ſine ratione, eam omnibus omnino *Febribus continuis* (ut ab ipſius ore accepi) convenientem aſſeruit, atq; in *Sched.* ejus *Monitoria pag. 62. Eam* pleriſq; etiam *Febribus* optime convenire ait. Neq; ea omnia quæ de hac methodo ſentiebat, ibi referre illi viſum fuit; quia *Conſtitutionum* ſuarum tam curioſe concinnata-

rum, fabrica exinde rueret: Quod non parum a
illius authoritate ſubſtrahendo, cæteris illius ſcri
tis utiliſſimis ſane multum derogaret.

CIV. Jam quod reliqua *Phænomena Febrium pr*
tica attinet, *Juvantia*, ſcilicet & *Lædentia*, reſtat u
alia quædam *Juvantia* breviter attingamus, quali
ſunt *ſalia volatilia* & *fixa*, *teſtacea* & *concreta marin*
quæ ſecundum *celebriorum Authorum* conſenſum hi
quoq; prodeſſe traduntur: Quantumvis veriſimil
ſit, eorum uſum non prorſus eſſe tutum, ubi *Febr*
copioſo ſcatet fomite, ſive ante *Evacuationem* eam
debitam: Inquirendum nihilominus ſi horum ope
randi modus huic *Febrium Hypotheſi* ullo modo fa
veat.

CV. Ex ante dictis recolligendum eſt, *Sanguin*
Craſin duplice modo vitiari, atq; tot modis ejus *Cir*
culationi obices tarditatem *motus* inducentes, pon
Primo cum *Sanguinis Serum* licet debita *tenuitate*
quantitate conſtet, adeoq; ſit vehiculum ſatis ido
neum *Globulis Sanguinis*, *Globuli* tamen aut in *nume*
ro aut *mole* aut *figura* vitiantur: Quæ ſingula *viti*
multo magis complicata, difficilem *Sanguinis* tran
ſitum per *anguſtos meatus* inducere apta nata ſint.

CVI. Alterum *Sanguinis* vitium videtur eſſe cum
Sanguinis ſerum *viſciditate* peccat, quod *Sanguini*
motui *tarditatem* inducere etiam valeat. In prior
caſu *ſalia fixa*, *alcalina*, *concretaq*; *teſtacea* ſubtilite
pulveriſata, juvare opinor: Quia hæc omnia ut
notum eſt, particulis ſumme *rigidis* & *ſcabroſis* con
ſtant, quorum minima quævis particula, hanc *fi*
guram & *conſiſtentiam* quocunq; vehitur ſemper ſer
va

at, Quæ quidem *particulæ* cum *Sanguine* miſtæ, ac *circulatione* cum eo agitatæ, inq; *Globulos Sangui-is* vitiatos & *ſcabroſos* impingentes, eos atterunt & oliunt; meatuſq; *humoribus* craſſis infarctos lævi-ant ac detergunt.

CVII. Verum quoad alterum *Sanguinis vitium*, *eri*, ſcilicet, *viſciditatem*: Inquirendum prius, in uo *viſciditas* illa conſiſtat: Videtur *viſciditas* gra-us quidam de *fluiditate* in ſoliditatem declinans; umq; fluiditas in continuo & actuali motu minima-um liquoris particularum conſiſtit, Viſciditas igi-ur ſupponit debitum motum aliquatenus imminu-um: Atq; illud vel a principii illius *motus* debili-ate, vel ab *ineptitudine* materiæ ad movendum, uti quid glutinoſum commixtum habens: Præterea ſi-uti certum eſt, *liquorum quietem* qui naturaliter mo-veri debent, eorum *viſcoſitati* maximopere conferre, ta liquorum viſcoſorum agitatio, eos tenues red-dit, quatenus *particulis aeriis* agitatione immiſtis ra-efiunt: Uti cernitur in *cereviſia viſcoſa*, quæ agita-ione in vitro occluſo, *aeris* immiſtione, tenuis eva-dit: *Seri* quoq; *Sanguinis viſcoſitas* uti ex illius ni-mia *quiete* pendere videtur; Ita viciſſim illius *viſ-coſitas*, illius etiam *quietem* parit, quatenus *Sangui-nis* motui progreſſivo officit: Atq; ita hæc vitia ſeſe viciſſim generare & augere videntur: hæc vero *viſ-coſitas* ſeu *ſeri motus inteſtini* defectus, originaliter pendere videtur, ex defectu *irradiationis ſpirituum* qui *diaphaneietatem*, *ſubtilitatem*, *motumq;* *inteſtinum* illi tribuant. Huic igitur *Seri* vitio conducere vi-dentur, omnia illa quæ *particulis* ſumme *agilibus* &

pe-

penetrantibus conſtant, ſive quæ copioſos *ſpiritus* ge
nerant, aut generatis *ſtimulos* dant: Qualia ſun
ſalia volatilia, quæ hac de cauſa *viſcoſitatem om
nem* attenuant, *meatuſq;* quaquaverſum deobſtruunt
ideoq; in *Febribus* proſunt; verum hæc cum mode
ramine equidem uſurpanda, ne ſtimulemus plu
quam aperiamus, *meatuſve* patefaciamus, ſicq; *Spir
tus* iſti nimium incitati, *ſcænas* illas *tumultuum*, qu
bus *Sanguis* hoc in caſu maximopere eſt pronus, ex
citet.

CVIII. Experientia longa compertum eſt, *Cucur
bitularum* & *Hirudinum* uſum in *Febribus* prodeſſe
quorum *Phænomenon practicorum ætiologia* hanc e
tiam *Hypotheſin* omnino confirmare videtur, quipp
hæ *Cucurbitulæ* variis corporis partibus applicatæ
cutim in finitimis locis elevando *Sanguinem* in *capil
laribus* hæſitantem, etiam in motum denuo coguntu
quatenus, nempe, *Aer* cum *Sanguine* in *capillaribu
miſtus*, *Aerem rarefactum* in vitro minoris reſiſten
tiæ inveniens, protinus *dilatatur*, ſecumq; etiam *va
ſa* illa *capillaria* dilatans, non ſolum *cutim* in vitrum
irrumpere facit, verum etiam *Sanguinem* in vaſi
anguſtiſq; *meatibus* circumjacentibus ſtagnantem, de
nuo in motum ciet.

CIX. Et ſimilis ſane effectus *Sanguiſugarum* ap
plicationem comitari videtur: Hæ enim ex *Capillar
ribus Venis Sanguinem* haurientes, illius *ſtagnationem*
ac *quietem* & hæc etiam ſequentem *Coagulationem*
impediunt ac removent.

CX. Simili plane modo operari videntur *cutis
fricliones*, quæ in *Febribus* utiles quoq; prædicantur
quip

uippe hæ non modo poros aperiendo *Perſpiratio-*
ſubveniunt; Verum motu ultra citraq; *Sanguinem*
Capillaribus reſtitantem premunt & exagitant;
q; ita ſolutis *Sanguinis obſtructionibus* & *ſtagnatio-*
bus, eum in motum denuo urgent. Quantumvis
x credatur *Frictionis* impreſſionem, ultra corpo-
s ſuperficiem penetrare, in *Sanguinis* itaq; *maſſam* in-
rniſve corporis partibus nullum aut debile *Fricti-*
nes habere poſſe effectum; certum tamen eſt motum
corporibus ſolidis mire & ad magnam diſtanti-
m propagari; quanto magis in *liquidis* & *fluidis*,
ſce præſertim canalibus incluſis, longe lateq; mo-
s diffundi poteſt?

CXI. Quoad *veſicatoria* in *Febribus* etiam profi-
a: Certum eſt ea *cuti* applicata, particulas quaſ-
m ſumme *volatiles* & *agiles Sanguinis maſſæ* imper-
ri, quæ illius *motui inteſtino* ſumme etiam confe-
nt: Ut ex interno *Cantharidum* uſu inſuper conſtet,
o ita agitatur & attenuatur *Sanguis*, ut mictum
uentum ſtatim reddat patiens.

CXII. Jam quod *Lædentia* in *Febribus* attinet, hæc
iam debite penſitata, non minus quam cætera *Hy-*
theſin, ut ſpero, firmabunt: Præter antedicta quæ
ebrem generare eamve fovere ſolent, certum eſt
udores colliquantes, quæ in plurimis *Febribus* acci-
unt, ſumme nocere; ideoq; ut *Sydenhamius* obſervat
otius ſupprimendi, quam indulgendi: Hac de cau-
, ut opinor, hi enim *ſudores* ex eo fiunt, quod *ſerum*
anguinis a *Globulis* ſecerni jugiter pronum videtur, ex
o *Sanguinis conſiſtentia* & *craſſities* augetur, illiuſq;
motum aptitudo minuitur. *Sudores* vero *critici* &
lc-

levamen adferentes, raroq; in *diuturnis Febribus* co
tingentes, (a copioso quippe & *viscido fomite* in *pr*
mis viis stagnante semper foventur) *Sudores* die
critici ex *perspirabili retento* omnino proveniunt
Atq; uti hi *Sudores Naturæ* opus omnimodo sunt, i
in *Febribus* ab arte stimulati, raro fauste succedunt
Veluti in *Sched: Monitoria* accurate observat & evi
cit *Experientissimus* Sydenham.

CXIII. Præterea ut ille *Author* tradit, & quotidi
na pariter accurate observantium *Experientia* prob
tur, Continuus in *nudum lectum* decubitus *Febri*
tantibus summe nocivus est. Hac maxime ut opin
de *Causa*, quod continuus *lecti calor*, *pororum ton*
& *Fibrarum firmitatem* enervare solet; ex quo *p*
spirabile eliminandum omnino supprimitur, unde
Sanguine febricitantium, *confusiones* ac *tumultus* ult
rius intenduntur: Sed per corporis moderatam i
terpositam *refrigerationem*, non solum *naturalis cal*
ad *perspirabile* expellendum arctius concentratu
verum etiam *pororum tonus*, ac *fibrarum firmitas*, *per*
spirationis eliminationi summe necessaria, hoc mo
deramine & evantilatione optime reparantur: Ho
probabilius quoq; videtur, quod *Sanctorii* in *Stati*
cis suis Aphorismis doctrinæ omnino consentaneu
est, præsertim *Sect.* 2. *Aphor:* 26. ubi ait *calorem in*
ternum nimium diffusum nec satis concentratum & in
tensum ad perspirabile expellendum, uti in æstivo ca
lore contingit, corpori incommodum omnino esse: Atq
illud non propter vehementem aliquam impressionem i
corpus factam, (quælibet enim corporis pars æstivo a
ere est calidior) sed quia calore externo non satis con
cen

entratur calor internus, ad perſpirabile retentum eli-
minandum: In *Febribus* enim *caloris* interni vitium,
ex hujus concentrationis defectu ortum, plurimis
Spirituum motibus *indirectis* uti *refractionibus, refle-*
xionibus, collisionibus, &c. anſam quoq; præbet, ut
ante dictum eſt. *Continuus* etiam in nudum lectum
decubitus, calorem iſtum foveat, qui colliquantes iſtos
Sudores extorqueat, unde *Sanguinis conſiſtentia* & *craſ-*
ties, ut dictum eſt, augeatur.

CXIV. Simili quoq; modo, noxam *Sanguinis cir-*
culationi inferre videtur, in *Febribus Diarrhea* ſeu
Alvi fluxus, periculoſum ſane, ſive *ſignum* ſive *ſymp-*
toma vocetur, hac, ſcilicet, ratione, quod pendeat
aut ab obſtructione *venarum lactearum* aut ex *fibra-*
rum inteſtinalium laxitate, vel *facultate* uti vocant
retentrice debilitata vel utroq;, unde ad *Sanguinem*
diluendum & attenuandum ex *Inteſtinis* in *Venas* la-
cteas, potulenta ingeſta nequaquam propelluntur,
ed omnia pleno flumine per modum *Alvi fluxus*
eu *Lienteriæ* ad anum deſcendunt: Unde *Sanguis*
materia ſeri deprivatus, neceſſario incraſſatur, &
n circulatione tardeſcit, illiuſq; *motus* tandem peri-
nitur. Qui ſane affectus ut ante obſervatum com-
modiſſime per *Catharſin* primo curatur & dein ipſa
Febris: Uti multiplici experientia compertum ha-
eo.

CXV. Si dubium aliquod circa hanc *Hypotheſin*
dhuc reſtet, ex eo, quod *Sanguis* priuſquam ad cor-
oris habitum & extrema perveniat, per *pulmones*
irculatus ibiq; velut colatus, nulla in anguſtis *pul-*
monis meatibus, tardioris aut difficilioris motus in-

dicia præbeat: Huic dubio ut satisfiat, notandum est, *Pulmones* non solum *Sanguinis* esse *colatorium*, a illius debitæ attenuationis examen ac indicem verum etiam attritionis & lævigationis *Sanguin* principale quidem *instrumentum*, cui etiam ultimum complementum ac perfectionem tribuunt: Continua enim agitatione, & in vasis *Pulmonis* concussione (motu nempe eorum *contrahente* & *dilatante* *Cordis* motui vicissem occurrenti & oppositio) maxime attenuatur, cumq; *Aere* intime commiscetur *Sanguis*, ut ante dictum est, & sic perfectionem adipiscitur.

CXVI. In casu itaq; *Febris* quamvis *Sanguinis globuli* crassiores ac particulæ viscidiores, ex *Venis* per Cor ad *Pulmones* redeuntes, rursum comminuantur & atterantur, & levia crassitiei indicia *Pulmonibus* infligant, Cum enim *Pulmones* Cordi sunt proximi a contermini, motu *Cordis* vegeto per horum vasa *Sanguis* vigetius propellitur, perq; ramificationes angustas & innumeras derivatur, cum ipsi etiam *Pulmones* contractionis ac dilatationis motu continuo potiantur, qui motus *Sanguinis* quoq; attenuationi summe conferunt. Hic tamen *Sanguis* ad *Arteriarum* extremitates in corporis habitu appulsus, ubi *Cordis* & *Arteriarum* vis *pulsifica* valde minuitur languescitque, tum necessario crassior ille *Sanguis* tardescit ac fatiscit.

CXVII. In plurimis insuper *Febribus* iisq; valde periculosis, *Sanguinis* illa tarditas, in illius *difficili* ac *tardo* per *Pulmones* motu, clare conspicitur: Frequentem, *anhelosam*, & *altam respirationem* ibi exci tando.

CXVII

CXVIII. *Pthiſis* demum *pulmonum*, cum *Febrilibus exacerbationibus* aliquot horas poſt cibum, eo ſcilicet tempore quo *Chilus Sanguinem* appulit, non parum hanc *Febrium Hypotheſin* etiam firmat. Quia *Chilus* cum *Sanguine* in *Pulmones* adveniens, dum hi *tumoribus* in glandulis (uti in *Pthiſi* notum eſt) afficiuntur, tum *Pulmones* in ſubigando & comminuendo *Sanguine* deficiunt. Plurimæ igitur illius particulæ non ſatis lævigatæ, ad extremitates *Arteriarum* pervenientes, per anguſtos iſtos meatus difficulter & tarde tranſeunt; *Febris* ideo, cum *frequenti* quoq; *Pulſu* excitatur, quæ etiam durare ſolet, donec repetitis per has *anguſtias* tranſitibus, particulæ illæ *craſſiores ſanguinis* lævigentur ac poliantur: Atq; eodem fere modo & ratione accidunt paroxiſmi illi rigoris & caloris febriles periodice redeuntes in *ulcere pulmonum* confirmato, hoc enim in caſu pus ab ulcere manans, & *Sanguini* commiſtum, meatus anguſtos inter *Arterias* & *Venas* obſidit & infarcit, ex quo circuitus *Sanguinis* tarditas efficitur, donec ſuperatis iſtis obſtaculis, repetitus *Sanguinis* circuitus hos canales repurgaverit & polierit.

CXIX. Si quis præterea opinabitur hanc *Sanguinis craſſitiem*, *tumores* potius, quam *Febres* producere aptam natam eſſe; *Febres* ſane & *Inflammationes* opinor illud quidem habere commune, quod ſimul ſæpe generari ſolent: *Febres* etiam ex *Tumoribus* & *Inflammationibus* plerumq; pendent; uti *tumores* & *inflammationes*, *Febres* ſæpe conſequuntur, quod eos quoad cauſam valde affines eſſe indicat: In hoc tamen differre videntur, quod *Febres* ex univerſa (quan-

tumvis minore) *Sanguinis craſſitie* fiant, quæ *difficilem* illius *tranſitum* per ſingulos corporis anguſtos *meatus* producit: *Tumores* vero & *Inflammationes* a majore *craſſitie* in particulari *vaſi*, perſæpe etiam a compreſſione generantur, ſaltem propagantur augenturque: Forſitan etiam eſt, particularum humorum inepta aut perverſa configuratio, in relatione ad Poros & ductus *vaſorum*, quæ illa obſtruendo *ſtagnationem* ibi creant; quæ *ſtagnatio* continuo novi liquoris appulſu incrementum ſumens, *meatus* conterminos etiam premit, & ibi etiam *ſtagnationem* efficit: Hi vero *meatus* alios ſibi vicinos premunt, atq; ita longe lateq; diffunditur *tumor* & *obſtructio*, quæ ſolum in puncto cæpit, activitatiſq; ſuæ *ſphera* in vicinium circumfertur: Uti in carnis punctura cernitur, quæ *vicinos canales* comprimendo *ſtagnationem Sanguinis* in iis primum efficit, quæ *ſtagnatio vicinium* ſimiliter comprimens, *tumorem* propagat, atq; ſic deinceps donec *compreſſio* gradatim minuta, vim ſuam amittit. Harum ideoq; *ſtagnationum* ac *tumorum* optimum remedium videntur illa omnia, quæ calcaria ſpiritibus addant, *viſcoſitatem* idcirco attenuant, ut *ſalia volatilia*: Illaq; etiam omnia quæ *craſſos humores* atterunt, uti *ſalia fixa teſtaceaq; concreta*, quæ interne uſurpata, *tumorum* quoq; ſunt diſſolventia. Veluti etiam impuritates quæ veſtimentis adhærent, quæq; ex ſudoribus & *perſpirationis* materia generantur, nulli aliæ *rei* cedunt, niſi *ſmegmaticis mixturis*, ex *ſale*, ſcilicet, *fixo* compoſitis. *Coagulationes* ſimiliter opinor, intra corpus ex *perſpira-*

bili retento generatas, hiſce etiam interne uſurpa-
s facile quoq; diſſipari.

CXX. Et ſane *humorum craſſities & viſcoſitas, ob-
ructioq;* ex iis pendens, vim eam habere videtur,
t non ſolum *Febres* verum plurimos etiam morbos
hronicos producat, ſed *typorum* varietas qua ſignan-
ur *morbi*, uti vel a gradu *craſſitiei* & *obſtructionis* vel
partis *organive* natura *affecti* provenit; ita ex *im-
reſſione* in *impellens* facta illiuſve *diſpoſitione* pendeat;
quæ ſive *irritationem* ſive *ſolum languorem* & *mero-
em* excitet. Atq; in *Febribus* quantumvis a præſente
iſpoſitione impellens plerumq; irritatum ſit, *cauſamq;*
morbi excutere contendat, ex alia tamen *diſpoſitione*
in *morbis chronicis* minus commovetur *Impellens*, &
ub invaſione onereq; gemit & languet, potius quam
rritatur *Impellens*: Ex una eademq; etenim *cauſa
ccaſionali*, diverſa hæc effecta in *corpore naturali*
oriuntur; uti in *corpore politico* ex eadem cauſa oc-
caſionali diverſi ſimiliter effectus ſequuntur. *Tyran-
nis* enim ſeu *regimen arbitrarium* in *magnanimum* & *for-
tem gentem* exercitatum, bellum excitare ſolet: Tale
vero *regimen* in populum *ſervilem* & *mollem, languo-
rem, inopiam* & *depopulationem* ſolum parit: Simili-
rudo etiam adhuc ulterius deduci queat; veluti
enim bello domeſtico *Tyrannis, populiq; oppreſſio* ſæ-
pe excutitur, atq; *Gens* exinde in *vigetum* & *floren-
tem ſtatum* tandem reducitur; Ita in *Corpore Natu-
rali, morbi chronici*, ſuperveniente *Febre* plerumque
ſolvuntur, corpuſq; ad ſaniorem ſtatum pervenit.

CXXI. Animadvertendum ſedulo eſt, ſi ea quæ
hactenus dicta de *Sanguinis circulationis tarditate in*

Fe-

Febribus continuis vera ſint, in graviſſimo tum & periculoſiſſimo errore hos verſari, qui contrariam opinionem tuentur, Opinantes, ſcilicet, *Sanguinem* in *Febribus* rapidius moveri, illiuſve *circulationem* velocius perfici: Cum enim *Sanguinis circulatio* in naturali, & ſanitatis ſtatu, tam mirandum ac ſtupendum ſit, ut vix concipi queat, quin animus mirè torqueatur ad diſtincte comprehendendum, qui in tantillo temporis ſpatio, ſexta, ſcilicet, (uti refert *Lowerus*) horæ partæ, per anguſtos hoſce *Meandros Sanguis* totus circularetur: Atq; idcirco *Sanguinis circulatio* a pleriſq; diu oppoſita fuit, quia eam impoſſibilem exiſtimarunt, quid tum replicarent hi adverſarii, ſi eum *velociorem* & *rapidiorem* audirent. Verum uti, hujus admirabilis & ſtupendi *motus* velocitas aucta incomprehenſibilis omnino videtur; ita quam facillimè hic *motus* diminutus concipi poteſt.

CXXII. Hic quoq; præterea *Circulationis auctæ* error, non ſolum *Theoria* falſa & inepta eſt, ſed ſummi inſuper momenti & periculi: *Artificem* enim proh dolor! in *methodos* periculoſiſſimas impellit; inq; praxeos *Errores* funeſtiſſimos præcipitat. Huic etenim *motui* in quo *vita* conſiſtit (jam nimis fatiſcenti illaqueatoq;) obices plures ac repagula majora imponere, *Medicus* cogitur.

CXXIII. Per multa licet ſæcula *Sanguinis* illa *Circulatio* in tenebris latuerit, diu ea tamen inventa, contraverſia fuit, quippe quamvis *Medicinæ theoriam* ornaret, illius tamen *praxi*, emolumenti nil adferobat

CXXIV.

CXXIV. Verum enimvero, per jam allatam *Febrium theoriam, Sanguinis circulatio* hac contumelia optime liberatur: Hæc quippe *Theoria, Sanguinis* hunc motum *læsum*, sive illius ex difficili *Circulatione* tarditatem, eamq; ex *Sanguinis* crassitie, aut *coangustatione canalium* pendentem, proximam esse *causam Febrium*, clare evincit. Cum insuper hæc *Theoria* simul enucleat, quo *causarum* ordine ac concatenatione, *causa* hæc proxima foveatur; quot precor *Indicationes* solidæ & fructuosæ, in tenebris omnino prius latitantes, exinde promi possunt; maxime quidem, cum hisce *Indicationibus* satisfaciendis, media idonea non desint, ad hasce nimirum *causas*, destincte etiam hic delineatas, pro re nata sive corrigendum, sive intercipiendum aut averucanndum, Non obstante etiam laude ac admiratione, *Sanguinis* circulationis inventioni merito tributa, Hæc tamen *Theoria* ante descripta, *inventionem* illam tantum excellere videtur, quantum res summe utiles atq; fructuosæ, mere *curiosis* ac *Theoreticis* præstare videntur.

APPENDIX

De Obſervationibus quibuſdam Praxeos curand *Febres* per *Cathartica*.

FAtendum eſt, omnem in *Medicina Theoriam* quantumvis ingenioſe concinnatam, qua tamen nulla ſolida innitatur *Praxi*, illi ve viam commonſtret, ſolum eſſe facinan tem & eluſoriam;atq; practicantes inter operandum (veluti ignes fatui ſolent viatores) in periculoſas & devias ſemitas deducentem.

Uti igitur hanc *Praxin* ſeu *Methodum* curandi *Febres* per *Cathartica*, tam utilem & fœlicem compe ri,ut ex multis ægris per octennium elapſum a me tractatis, non ſolum vix perierit unus, verum etiam (uti in aliis methodis ſæpe evenit) ſine *Metaſtaſi* ſeu *Febris tranſlatione* in alium morbum,curati fue rint; opinor inſuper hanc *Praxin* tum fore funda mentum huic *Theoriæ* inconcuſſum & adæquatum tum hanc *Theoriam* diſtincte delineatam, & ment *practicantium* clare inſculptam, *praxi* huic in *caſibu* ſcilicet diffralioribus dirigendæ, lucem haud par vam, omnino allaturam.

In ſtudioſorum pariter gratiam, non abs re fore ſpero, caſus aliquot ſive exempla hujus *Praxeos* no tabiliora adjicere, quæ hanc *Curam* aggreſſuris ve luti *Exemplaria* conſtent.

Ca-

CASUS Primus.

Mulier quædam generoſa, circiter annos triginta nata, *habitus* quoq; gracilis & *temperamenti* delicatuli, quæq; duodecim enixa fuerat liberos, ſecundo ab ultimo *puerperio* menſe, poſt nimis longam in aere humido & frigido, pedibus etiam madefactis, verſationem, rigore corripitur, cui denuo ſucceſſit *calor*, atq; ita leniter per quatriduum *febricitavit*, noctes tranſigendo inſomnes; die 5to. vocatus inveni pulſum valde frequentem, cum *calore* urente, dolore *capitis*, *ſiti*, *vomituritione* & aliis *Febris ſymptomatis* abſq; remiſſione: Cum ſuppreſſæ fuiſſent ab ultimo *puerperio menſes*, ſtatim fit *Veneſectio* in pede, ſequente mane ſequens *Catharticum* adminiſtratum; R. *Tamarind. Tartar. aa.* ʒ*iij* coq: in ſuff. q. aq: font. ad reman: *unc.* *iiij* in colatura fervente infunde per noctem *fol: ſen:* ʒ*iij* colaturæ mane adde *ſyr: roſ. pal. unc: i. aq. cinam.* ʒ*ij.* fiat *potio*, ex qua *Dejectiones* ſex aut ſeptem habuit, magis ſtercoroſas quam *viſcoſas*; nocte *Paregoricum* ſequens ſumpſit. R. *Aq. ceraſ. nigr. unc. i. aq. cinam.* ſine *vino unc.* s. *Laudan. liquid:* gutt. xii. pro una *doſi.* Hac nocte aliquantulum dormivit, *Febris* ſequente mane aliquanus remiſſa; Quo die ſingulis duabus horis ſumpſit cochleare ſequentis miſturæ R. *Aq. ceraſ: nigr: unc: i. aq. menth: roſar: aa. unc: ſem. ſyr. garyophil.* ʒ*iij: ul: cancr. pp* ʒ*i ſpt ſal: armon* gutt x. miſce, verſus nocem exacerbabatur *Febris* cum vigiliis ea nocte, ſequente igitur mane prædicta *potio* repetita fuit, quam tatim vomitu rejecit, protenus ideoq; adhibetur

Tinctur. Jalap. 3*j* quæ cum minimæ eſſet molis, *ſtomacho vomituritione* affecto neutiquam rejicieba-tur; ex ea *ſepties* aut *octies* cum *Euphoria* dejecit atq; *ſedes* magis *viſcoſas* quam priore die: Nocte *Paregoricum* hauſit & dormivit, ſequente mane *re-miſſionem* paſſa eſt, adminiſtratis præcedentis *miſturæ* cochlearibus dictis intervallis, intermittitur per bi-duum *purgatio*; tam gravis interea *tendinum* per totum corpus *Subſultus* invaſit, ut continuo velu-ti contremiſceret, periculoſum licet illud ſit ſymp-toma, autoritate tamen *Sydenhami* ſuffultus, qui in hoc caſu *purgationem* etiam præſcribit in *Sched. Monit.* repetitur igitur ſequente die altera *Tincturæ doſis* ex qua *ſepties* aut *octies* dejecit, & ſedes habuit tum *copioſas* tum *viſcidas*. Nocte *Paregorico* exhibito placide dormivit, ſequente mane *Tendinum Subſul-tus* multum imminutus: Continuato prædictæ *miſ-turæ* uſu per dies inſequentes: Dein quarto morbi die e lecto ſublata, ſuperq; grabatum per aliquot horas jacens, magnum caloris interni, qui per totum morbi decurſum illi gravis fuerat, temperamen ſen-tiebat; in lecto denuo repoſita, per plures horas tran-quille dormivit; & cum omnium *ſymptomatum remiſſi-one* notabili expergefacta eſt; circa 17 *morbi* diem, li-cet *Febris* & *Symptomatim* minuta, mane tamen re-perta eſt in *Paroxiſmum* veluti *Comatoſum* de-lapſa, cum *ſtupore*, in qua inſenſilis videbatur, quam-vis vigilans; *Pulſus* interea ſatis conſtabat, *ſtupor* vero indies minuebatur, atq; ita lente convaluit ad convaleſcentiam vero ſubveniendam, inbecilli-ma licet fuerat, *quarta* ex eadem *Tinctura Purgati-*

ex

exhibita, cujus ope priſtinæ ſanitati ſenſim reſtituta erat.

Obſervandum per totum *morbi* decurſum, ipſi gravem fuiſſe ingentem *aurium ſonitum*, quem *tympanorum* ſonitum referre dicebat: Et verſus morbi declinationem, oris collutione cum frigida, magnam copiam *phlegmatis viſcoſi* excrevit, licet in *morbi* ſtatu eadem collutione, parum aut nihil expuerit.

Notandum etiam, quod poſt ſingulas *Purgationes*, ſequente mane a ſomno, *Pandiculationes* ſeu *artuum Expanſiones* ſupervenere: Quod optimum quidem prædicatur *ſignum* a *Sanctorio* in *ſtat. Sect.* 4. *Aphor.* 32. Remiſſionem quoq; notabilem nullam cernere erat, niſi diebus purgationem immediate ſequentibus.

CASUS Secundus,

Juvenis quidam Illuſtris & Nobilis, recidivum *Febris* abſq; *remiſſione* paſſus; cum *vigiliis*, *ſiti* immani, *tuſſi*, *continua vomituritione*, *inappetentia* totali, cum frequente etiam *Animi diliquio*, (vix enim elevaretur *Caput* ad aliquid hauriendum quin animi diliquium ſubierit) cum extrema inſuper imbecillitate, & macie, ut qui pridem & in ſanitate *Euſarcos* fuerat, inſtar *Sceleti* tunc apparuerit.

Si unquam fuerit *Caſus*, qui hujus *methodi* uſum reſpuere videretur hic erat, nihilominus aliorum *Medicorum* mihi adjunctorum concilio ſequente *Methodo curatus* fuerat, primo *Veneſectione* in *Brachio* ad *unc*: vii, die ſequente ad *purgandum Bolus* adminiſtratus, quem ſtatim vomitu rejecit, ut & etiam *potionem* & *pilulas purgantes*, *tincturæ* vero *jalapi doſin*

adminiſtratam retinuit, cujus *operatione* copioſas & frequentes *ſedes phlegmate* viſcoſo omnino refertas excrevit; nocte *Paregoricum* admiſſum, die ſequente *Symptomata* multum imminuta; poſt ſecundam *Tincturæ doſin*, quæ ſimilem copiam *phlegmatis* viſcoſi eduxit, & *Paregoricum* nocte adhibitum, *Febris* & *Symptomata* fere evanuere: Atq; ita ſenſim convaluit, *Titillatione* & *Pruritu* totam corporis ſuperficiem occupante, quæ cum virium reparatione ſenſim quoq; diſcedere.

CASUS Tertius.

Adoleſcens quidam *Febre continua* abſq; *remiſſione* corripitur, *rigore* & *calore* alternatim in initio affligentibus; die quarto *diliravit* & *ſtupore* afficiebatur, cum ſumma *imbecillitate*, oculi erant turbidi, & faciei forma multum illi immutata, inter loquendum *balbutiebat*, *Lingua ſicca, nigra, fiſſa*, *Sitis* magna, *Pulſus* frequens, *Oblivio* pene totalis, *Anhelatio* magna, quandoq; & eam *Viſus* diminutio; die quarto *Morbi* fit *Veneſectio*; die ſexto cæpit *potionem purgantem* in prima obſervatione præſcriptam, quæ repetita etiam eſt die ſeptimo & nono, cujus *operatione* ſingulis diebus ſedes copioſas *phlegmate refertas* dejecit: Quavis nocte *Paregoricum* exhibitum eſt, nocte vero nona omittitur *Paregoricum*: Initio licet noctis ſat bene quieſcere videbatur, in illius tamen progreſſu *inquietudine*, *anxietate* & *ægritudine* magna corripitur, quo tempore *ſexies* etiam dejecit; in ultima dejectione *Sanguinem* excrevit cum magno *Inteſtinorum* cruciatu: Hiſce urgentibus ſtatim adhibetur *Paregoricum*, per quod reliquum noctis

quiete

uiete dormivit, & mane optime ſe habuit; poſt me-
idiem vero *ægritudinis paroxiſmus* cum *anhelatione*
nvaſit, qui poſt aliquot horas ſomno ſedabatur,
uo tempore *Urina* erat cruda, hic paroxiſmus rediit
eriodice ſequentibus diebus, quem iterato cathar-
co curare aggreſſurus fueram, poſt exhibitum vero
Catharticum ejus operatio accidente dicto paroxiſ-
no omnino ſiſtebatur: Tum opinabar morbum ad
aturam *intermittentis* accedere, & *corticem Peruvia-*
nam ratione dicti paroxiſmi periodice redeuntis indi-
ari, Cujus *tribus doſibus*, ante ſequentis diei *paroxiſ-*
mum adhibitis, multum imminuebatur ſubſequens
paroxiſmus: Cito poſthac convaluit & viribus reſti-
uus eſt.

Licet in quamplurimis *Febribus purgatio* admi-
iſtrari queat, abſq; ſubſequente *paregorici* uſu, quan-
oq; tamen (ut in hoc caſu) *paregorici* omiſſio, vel
na nocte, ægro poſſit eſſe exitialis: Cum nempe
ymptomata ingruentia, quæ *Paregorico* ſedari cer-
iſſime poſſent, mire *Febrem* intendant, & funeſtiſſi-
na *ſymptomata* tandem accerſant.

CASUS Quartus.

Adoleſcentula quædam in *conſtitutione Epidemica*
ncidit in *Febrem Continuam* abſq; *remiſſione*, cum
ertigine, *Capitis* dolore, *Pulſu frequente* & *debili*,
Lingua ſicca, fiſſa, nigra, cum ſumma *imbecillitate*, &
Delirio, & totali inappetentia, &c.

Die ſecundo morbi fit *Veneſectio* in brachio, dein
eniente *Cathartico* purgatur, die quinto & ſexto le-
ientibus etiam *Catharticis* ob *Pulſus* imbicillitatem

pur-

purgata est, pauca vero *materia viscosa* in sedib
erat; die nono ob *dilirium* intensius *Vesicatorium*
chæ applicatur: Ea nocte Famula gravi errore, ea
sponte sudantem stragulis multis onerabat, ut sud
rem copiosum extorqueret, ad morbi *Crisin*, ut vu
go creditur, procurandam, potu etiam callido in
undem finem exhibito, ex quo patiens per tota
noctem querebatur se sudore & debilitate suffoc
ri & extingui: Ego accersitus eam inveni *sudorib*
defluentem, cum *Anhelatione* & *Dyspnea* magna, *Pu*
su valde *frequenti* & *debili*, fere quidem *formicant*
adstantes certe putarunt eam in *agone* mortis ve
santem; Detractis vero gradatim stragulis, *Sym*
tomata paulatim remisere: Die vero sequente *F*
bris gravior quam pridem eam urgebat, sequent
igitur mane *purgatio* prioribus fortior administratu
cujus operationis tempore e lecto surrexit, & vesi
ta per duas horas sedens, frigus ægre ferebat, qu
de causa in lectum denuo reposita cum linteorum
frigus ei fuerat etiam molestum, ope *Thermoclinii* l
ctus calefiebat, cujus nimio calore (secum enim illu
in lecto tenuerat) *calor* magnus subito totum Corpu
occupavit, cum *Febris* etiam incremento, & mole
stis aliis *symptomatis*, atq; etiam *Cathartici* opera
tio in totum sistitur. Quorum omnium causa fuisse
opinor, subitam hanc defrigore in calorem mutatio
nem, adhibitis vero simplicis *misturæ* sequentis coch
learibus aliquot omnia remissa. R. *Aq: rosar. cera*
nigr: menth. aa. unc. 1. *syr. garyophil. unc, ſ: ocul. cancri*
pp ʒ*ij spi. sal: armon:* gutt. xx vel xxx: Cujus cæpi
cochlear unum sæpius urgentibus *anxietate, animi di-*
li

quio, aut *ægritudine*, ſive tempore operationis *Cathartici* ſive extra; levamen & inde conſecutum eſt. *Oris* quoq; collutio cum *frigida* in hiſce paroxiſmis mire profuit, inde enim non ſolum interni caloris *temperamen* ſentiebat, ſed etiam copioſum *phlegma viſcoſum* excrevit. Sequente die adminiſtrata eſt quinta *Purgatio*, qua ter aut quater dejecit; accedente vero dicto ægritudinis *paroxiſmo*, prorſus ſiſtebatur. Gravis mihi fuerat hæſitatio, de ulteriore *Catharticorum* exhibitione propter patientis imbecillita. tem: verum ſuſpicatus *humorum ſaburram* commotam & non eductam, dictos excitaſſe *paroxiſmos*, ideo licet debiliſſima cenſebatur, die decimo tertio morbi *Cathartico* prioribus duplo fortius adminiſtrabatur; idq; hora quinta mane, ut illius operatio ante dicti *Paroxiſmi* acceſſum abſolveretur: ex *Cathartico* vero ter tantum dejecit, ante adventum dicti *Paroxiſmi*, in ſedibus copioſam pituitam viſcoſam excrevit, adhibitis præcedentis *miſturæ ſimplicis* Cochlearibus aliquot, Somnus per 2 horas ſupervenit, ex quo *Paroxiſmi* remiſſio, & *Cathartici* operatio denuo redintegrata, ſedes inde illi quinq; phlegmate copioſo ſcatentes; hora noctis octava, alter *ægritudinis Paroxiſmus* præcedentibus gravior iterum invaſit *Volatilibus* & *Paregorico* fruſtra exhibitis, Juſculi tamen calentis hauſtu, & *Oris* cum frigida *collutione* ſupervenit ſomnus per duas horas, & tranquille experrecta eſt. Hac nocte exhibito *Paregorico* in doſi ſolito majori, per noctem pacate dormivit, & mane reperta eſt cum magna omnium *remiſſione*, & *maculis rubris* per brachiorum cutem eruptis, cum *pruritu* etiam moleſto

per

per totam corporis ſuperficiem, qui progreſſu conva-
leſcentiæ in *ſcabiem* concrevit, genuum quoq; *dolor* i-
li tam gravis fuerat, ut præ illius vehementia ſæp-
exclamaverit.

Pulſus toto tempore morbi mediocriter conſtaba-

Quavis nocte ſive *purgata* ſive non exhibetur *Pa-*
regoricum, Somno quippe & quiete remiſſa fuer-
omnia ſymptomata, *vigiliis* vero aut *inquietudine* om-
nia exacerbabantur; cum profundius *diliraverat* de-
tractis aliquot lecti ſtragulis *dilirium* remitti ſoleba-

Oris ſolum cum frigida collutione ſæpius in di-
repetita, mirum quantum *Phlegmatis* viſcoſi excre-
verit, quo *anxietates* & *ægritudines* &c. confeſtim ſe-
datæ. Poſt ſingulas *Purgationes urinam* ut plurimum
reddidit *concoctam*, quæ cito tamen in crudam com-
mutabatur, donec *Purgatio* altera ſuperveniens, eam
denuo coctam effecerit. Atq; id ſæpiſſime eveni-
in hujus *Methodi* uſu.

Notandum quod in hac *Methodo*, uti in præſent-
caſu evenit, Diaphoreſes aut Eruptiones *criticæ* mor-
bum integre ſolventes, quandoq; contingunt, Qua-
tenus nempe materia morbifica magis ſubtilis a
viſcoſiore liberata, ad corporis ſuperficiem fa-
cilius propellitur; veluti etiam *criticæ Eruptio-*
nes, quæ hujus *Methodi* uſum ſequntur, ſiquan-
do contingunt, faciliores ſemper & leviores ſunt:
Ita poſt hujus *Methodi* uſum, *Febrem* per *tranſlatio-*
nem in alium *morbum* terminare nunquam conſpexi,
ut in aliis *Methodis* ſæpe evenire notum eſt.

C A-

CASUS Quintus.

Mulier quædam gravida, circa *noni menſis* initium, *Febre epidemica*, abſq; remiſſione corripitur, erat etiam *temperamenti* & *habitus* tenerioris: *Febris* initio cum *ægritudine* & ſolitis *Syptomatis* adeo exacerbabatur, ut ſibi ipſi, & aſtantibus viſa ſit, vix poſſe plures tranſigere horas: Vocatus ego, opinatus fui eam partus dolores nequaquam poſſe ferre, ſi huic gravi morbo ſupervenerint; ſed juncto utriuſq; impetui eam certiſſime ſuccumbere. In hiſce igitur anguſtiis, *Febrem* quam primum demulcendam autumavi, quod nullo modo tam prompte poſſe fieri, quam purgatione: Bibebat igitur juſculum *purgans* per noctem ad ſitim reſtringendam, ex quo ſequente die ſæpius dejecit, & nocte *Paregoricum* adhibetur, proximo die *Febris* & *Symptomata* adeo remiſſa, ut ſibi ipſi, & aſtantibus ferme curata viſa fuit: Recrudeſcente vero *Febre*, ſed mitiore quam pridem, poſt duos dies *partus* dolores atrociores ſupervenere, & partum enixa eſt viventem: Poſt partum in maximo licet conſtituta fuerit diſcrimine, nulla tamen alia *methodo* tractata curabatur, quam *Paregorico* qualibet nocte, in moderata ſolum doſi exhibito, ne ſiſterentur *Lochia* parce ſatis fluentia) ex quo noctes tranſegit ſaltem quietas, licet inſomnes: Et *mixtura* ex aquis *cordialibus temperatioribus*, cum *oſſaceis* ſingulis duabus horis cochleatim administrata.

Plus quam probabile eſt, hanc ægram, quæ ægre *A-* mper a puerperiis prioribus convaleſcere ſolebat,

vix ſuperſtitem fore, ſi *Febri* tam gravi *partus dolores* ſuperveniſſent. *Febris* ideoq; ſaltem remiſſio, hoc in caſu indicari omnino videbatur: Idq; confeſtim, in hoc nempe præcipiti caſu, atq; id nullo alio medio præſtari potuiſſe opinabar, quam *Purgatione* prout ægra ferre potuerat, nec ſpem fefellit effectus.

Notandum eſt, quod licet hæc ægra poſt *Paregoricum* vix dormiverit, illius tamen uſus illi ſumme fuerat utilis præſertim poſt purgationem, quatenus ægra ab inquietudine & jactatione exinde muniebatur: Quæ ſymptomata in *Febribus* ſumme nocent, quia perſpirabilis eliminationi obſtant. Juxta *Sanctorium Sect.* 4. *Aph.* 13. *Sect.* 5. *Aph.* 14.

Quamplurimas alias obſervationes hic adjicere potueram, niſi grave foret Lectori omnes fere eaſdem reperire.

In chariſſimis quoq; meis liberis, DEO benedicente, hujus *Methodi* beneficium, vicies ni fallor expertus ſum, licet *Febribus* ſummi etiam gradu quandoq; laborabant: Quod non modo hujus *Methodi* efficaciam, ſed illam inſuper eſſe tutiſſimam evincere poſſit.

Animadvertendum eſt interea quod quæcunq; de *Catharticorum* in *Febribus* efficacia prædicantur, *Emeticis* etiam adminiſtrandis quodammodo vera eſſe: In facile inſuper vomentibus, præſertim morbi initio, plus præſtare poterit, *Emeticum* unum exhibitum, quam *Cathartica* plura repetita: Præter enim *Saburræ* humorum *evacuationem* ab *Emeti* factam, inſignis inſuper *concuſſio Fibrarum vaſorum* & *viſcerum*, ab eo concitatur; qua certe ſolvun-

omnes *Canalium* anguſtorum *Coagulationes* & *Infarctiones*, atq; ita *Sanguini* & *Humoribus* debitus conciliatur *motus* & *circuitus*.

Monendus eſt inſuper *Medicinæ* ſtudioſus, ne huic *Methodo*, quantumvis alias efficaciſſimæ, nimium fidat in *Febribus Symptomaticis* ex *Inflamationibus*, ſcilicet *Viſcerum* interiorum ſive ex *vulneribus pendentibus*; Aut in *Febribus* cum gravibus aliis morbis complicatis; Neq; eam tentet in *puerperarum* aut *indentitionum* infantum *Febribus*; ſicuti monuit *Cl: Sydenham*: in *Sched. Monit.*

Neq; hæc cura aggredienda eſt, in vere *Agonizantibus* & morti *præcipitantibus*, licet ego ægros qui aſtantibus *agonizare* videbantur aliquando hac *Methodo* liberavi; Mors enim quandoq; clanculum & ex inſidiis aggreditur. Ubi igitur res aliquatenus dubia videatur, non ad hanc *Curam* ſe accingat *Medicus*, priuſquam morbi naturam & motum probe exploratum habeat. Hac quoq; de cauſa, huic *Methodo* vix datur locus in *Febribus peracutis*, quæ curſu *perveloci* ad *exitum* percurrunt, cujuſmodi opinor *Peſtem* etiam eſſe. Caute igitur obſervandum ante hujus *Methodi* uſum, ſi *vires* ægro non conſtent, num *humorum* onere ſint oppreſſæ, quo in caſu hæc *Methodus* certiſſime indicatur: Num magnis *Evacuationibus*, longis *vigiliis*, *inedia*, *vehementibus doloribus* & ejuſmodi, *vires* ſint exhauſtæ, tunc hæc *Methodus* ſaltem permittitur, pro ratione ſcilicet aliarum *circumſtantiarum*: Num deniq; *vires* ſint extinctæ, cum nempe initio & ſubito abſq; manifeſta etiam cauſa proſtrantur: Hic ſtatus ut plu-

rimum *Cerebrum* Phlogoſi aut Inflammatione affectum, aut *Sanguinis in ventriculis extravaſationem* ſignificat: Et cum *Pulſu frequente, debili* & *parvo* ut plurimum in initio copulatur: Hoc quoq; in caſu *Cathartica* ſive per os, ſive per *Enemata* adhibita parvam aut nullam operationem edunt.

Monendus deniq; eſt junior *Practicus*, in hac cura aggredienda, in periculoſioribus præſertim *Febribus*, ut, ægrum ſæpe inviſendo, tanquam fidelis *Rector curæ* ſuſceptæ diligenter præſideat: Ad *Symptomata* nimirum ſupervenientia tempeſtive coercendum: Cum enim occaſio hic plerumq; præceps, neglecta revocari non poterit, & quæ fronte capillata cito poſt calva evadit; ad *Symptomata* hæc periculoſa confeſtim ſedanda plurimum proſunt, ut ſuperius monſtratur, *Cardinalia* illa armenta, *Paregoricum* & *Salia volatilia*, quæ prudenti præſertim manu adminiſtrata, in hiſce caſibus quantum in *Navi gubernaculum* præſtare valent, non interim neglecto *caloris* & *frigoris* debito *regimine*; de quo conſule *Sanctorium* in *Medicina Statica Sect.* prima.

Equidem in ea opinione ſemper ſum, *Medicorum* ommiſſiones in quantum præſertim ægro fatales ſint, æque ac commiſſionis errores, ſeu poſitiva perpetrata eſſe culpabiles. Qui enim ex vano timore, ne ſcilicet ægrum lædat, huic pereunti ſuccurrere negligit, non minus quidem peccat, quam ſi eum *Pharmaco* necaſſet, cum nimirum artis præſidia ægro auxilium promittentia detecta ſunt: Uti hac nova *Methodo*, plurimos ægros hic nuper mortuos ſalvos

tuiſſe

uiſſe evadere, graviter ſuſpicor: Cum igitur *Medi*-robo & fideli incumbit, nullum non movere lapi-n, ad artis provectionem adipiſcendam, ut in hiſce uſtiis inter hæc duo periculoſa ſcopula, ommiſ-is ſcilicet & commiſſionis extrema, in neutrum ingendo, tuto progrediatur: Quid ergo de iis iendum, qui non ſolum ignavi prorſus & otioſi, uid in *Medicinæ* augmentum proferre impotes t, verum qui ab aliis detecta & exculta, immo pſis candide oblata, pervicacia prorſus nefanda rcilioſe damnant & reprobant; Verentes ſcili-aliorum laborem aut virtutem ſplendore con-uam, ipſorum ignaviæ contumelioſam eſſe, ejuſq; m caſtigamentum.

Cum igitur tam pauci *Medici* ſunt, qui vel in hac ima officii parte reperiantur, ut ab aliis inven-candideq; oblata benigniter recipiant, aut bo-altem conſulant, quanto ſane pauciores ſunt, qui cio ſuo in mage arduis rite funguntur. Si recte noverint *Medici* quantum in ſe ſuſcipiant onus, ſeſe praxi adjungendo, quanti ſcilicet momenti ifficultatis opus aggrediantur, cui non ſolum in-ii acies, ſed labor etiam atq; ſtudium ſumma, ad d debite perficiendum debeantur; in qua etiam modo tum ommiſſorum tum commiſſorum red-da eſt ratio, ſed etiam pro reis tenentur, quihanc m perfunctorie tractant, ſive qui ex negligen-& deſidia, ſive qui arduo & momentoſo huic neri, animi dotibus & ingenio prorſus impa-ſunt, Si hæc in mente, inquam, ſerio revol-nt *Medicinæ practicantes*, eorum numerus tam

tam deficeret, quam hodie multitudo redun
& ſuperabundat: Atque non ſolum exſcinde
retur turba *nugatoria Muliercularum* & *Officioſor*
ſeu per modum *Parergi* & peſſima quidem fide h
maxime *arduam*, ſummiq; inſuper *momenti art*
practicans: Verum etiam *magna* eorum *pars*, qui
profeſſo huic arti ſe dicaſſe venditant, quiq; ma
Prudentiæ Medici, quam *Prudentiæ Medicæ*, c
potes eſſe ſtudent: *i. e.* qui *artificium* magis q
artis peritiam colere operam navant: Veluti
lorum Nugatorum & *Cavillantium prævaricatorum*
hors, qui pro peritis tamen *Medicis*, paſſim a
vulgus habentur. Sed quamvis oportet *Mundum*
pi, *væ* tamen *deceptoribus*.

FINIS

ANIMADVERSIO in Librum D. D. PANTHOT.

NUper emiſit Librum *D. D. Panthot Collegii* Medicorum *Lugduni Gall. Præſes*, cui Titulus, *Reflection's ſur l'eſtate de Fiever*, &c. In quo refert ſe per triennium elapſum, Febres Continuas fœliciter curaſſe *Veneſectione* ſolum & *Purgantibus lenetivis* frequenter propinatis, atque etiam cum *Symptomata* atrociora exoriebantur, uti *Delirium*, *Stupor*, *Convulſiones*, &c. Vomitorium audacter & fœliciter dediſſe. Ubi ſimiliter *Cordialium* ſeu *Cardiacorum* noxam in *Febribus* clare evincit.

Licet non poſſum quin Laudarem *Ingenioſiſſimi* viri primitias, verſus Novam Methodum Curandi Febres per *Purgantia*: eſt tamen obſervandum eum male ommittere Paregoricum, licet non omnes ægri poſt Purgationem *Paregoricum* depoſcant Febricitantibus tamen *Hiſtericis* & *Hypochondriacis*, aut aliquam ægritudinem poſt *Purgationem* Patientibus, illius uſus eſt omnino utilis & neceſſarius: Plures enim *Febres* non leves unica Medicamenti purgantis Doſi hac *Methodo* curaveram.

Licet Purgantia lenetiva frequenter propinata, ſecundum *Methodum Authoris* curam preſtare poſſent, Cum nempe morbus hanc cunctationem admittat: Si vero morbus eſt paulo præcipitantior aut acutior, uti appellant, Purgantia fortiora debitis intervallis danda, omnino deſiderantur. Hæc præterea lenientia, pro Methodo Authoris continuo uſurpata, quia operantur Noctes atq; Dies, Patientibus, ideoq; valde moleſta ſunt, & Paregorici u-

ſum & utilitatem vix admittunt, noveram inſuper quoſdam Febricitantes, qui hiſce lenetivis hoc modo uſurpatis, poſt longam moram licet Curati: Illi tamen diu poſt curationem tam debiles fuere, ut *Atrophiam* vix evaſerint.

Si quis putaverit, hanc quam ſua Methodo *Author* curaverat *Febrem*, fuiſſe Epidemicam particularis cujuſdam *Conſtitutionis*, Eam itaq; *Methodum* Febri alterius *Conſtitutionis* vix convenire.

Opinor nullum qui Febrium naturam rite perpenderit dubitare poſſe, quin *Febrium Conſtitutiones* variæ, & earum *ſpecies* diverſæ (ſaltem quoad veram Curandi Methodum) mera ſint figmenta, illuſiones vanæ, & entia ſine neceſſitate multiplicata, uti ſunt *Pulſuum* ſpecies, & differentiæ, à *Galeno* & aliis enumeratæ.

Qui præterea *Febrium Phænomena* Naturalia, ſeu *Symptomata* ab *Hipocrate* in *Epidemiis* memorata probe attenderit; Ea eadem eſſe omnino reperiet, cum *Symptomatis* Febrium hic & ubiq; nunc invadentium. Habita aliquali ratione *Climatum*, *Temperamentorum*, *Conſuetudinis* vivendi, & id genus aliorum.

Si vero *Specifica* aliqua *Febrium* differentia ulla tenus eſt admittenda, ea maxime ratione Curationis ad *Criſim* ſpectantis probanda venit: Verum quod hanc *Febrium* Curationem per *Purgantia* attinet, *Febres Continuæ* omnes unius ſpeciei reperientur.

In ea quidem Opinione paradoxo, Ego omni modo ſum, tum hujus *Methodi* in omnibus Febribus continuis longa & fælici experientia, tum diuturna rei trutinatione,

ELENCHUS RERUM.

DE neceſſitate & utilitate Tractandi hoc ſubjectum *Feb. Continuarum*, tum ratione abſconditæ harum Naturæ & periculi, precipitantiſq; invaſionis harum *Febrium*, in quibus Morbos alios longe vincunt,& Hominibus terrori ſunt. § 1. Cumq; hæc omnia ſub *Medici præſidio* ſæpe contingunt, *Medicos* omnes probos & fideles decet earum naturam clarius eruere,ſine qua diſtincte cognita,neſciunt num manus jungant calamitoſo huic morbo. § 2. Febres continuuæ gradu ſolum differunt. § 5. *Signum Pathognomonicum* quod omni competat nullum habet *Febris*, ſed quod competat ſoli, eſt *Pulſus frequens*, ubi illud abeſt, quomodo *Febris* præſentia cognoſcitur. § 7. *Febris eſſentia* inveſtiganda eſt inter cauſas *Procatarcticas* ab una parte,& *Symptomata*,quæ veluti radii ex ea effluunt, ex altera § 8. Ex qua inveſtigatione *Febrium eſſentia* videtur conſiſtere *in difficili* & *tardo Sanguinis* & *Humorum* per totum corpus circuitu, ſive ex eorum *Craſſitie* ſive ex Canalium *obſtructione* aut infarctu, vel utraq; § 9. Ad explicandam hanc Febrium *Hypotheſin* cauſæ Procatarcticæ eventilantur, ut & *Perſpirationis læſio, Febrium* cauſa frequens, § 11, 12, 13, 14. Quomodo ea eſt *Febrium* cauſa. § 16. De modo quo perſpiratio perficitur. § 18, 19, 20. Confirmatio *Hypotheſeos* de *Perſpiratione*. § 21. Requiſita ad Perſpirationem debite perficiendam. § 23, 24, 25, 26, & ſeq. Ex dictis quomodo Perſpirationis ſuppreſſio *Febrem* generare poſſit explicatur. § 32.

Altera *Febrium causa* sunt *copiosi & crudi* succi in primis viis. § 37. Quomodo *Febrem* producere valeant. § 39. *Digestionis Ventriculi* nova *Hypothesis mechanica*. § 40, 41, & sequent. Quomodo *Indigestio Febrem* producit. § 46. Reliquæ Febrium causæ procatarcticæ breviter explicantur. § 47. *Phænomena Febrium* naturalia secundum dictam *Hypothesin* explicantur, primo *Calor*, § 51. *Sitis*, § 53. *Dolores* omnis generis, § 54. *Delirium*, § 55. *Maculæ petechiæ*, § 57. *Pulsus frequens*, § 58. & seq. Difficultates circa explicationem causæ *Pulsus* frequentioris removentur, § 65. seq. Alia explicatio causæ *Pulsus frequentioris*, § 69, & seq. Pulsus parvitas explicatur, § 74. Inventio summe utilis ad exacte metiendum *Pulsus* alterationes quoad *frequentiam*, per pendulum, § 75. *Urinæ Phænomena* explicantur, § 76. *Practica Febrium Phænomena* explicantur secundum dictam *Hypothesin Febrium*, ut primo *Venæsectio*, § 77. Varia observantur utilia circa *Venesectionem*, § 79. Utilitas *Sectionis Venarum* inferiorum, § 80. Quando *Sanguis* emissus coagulari nescit, illius causa explicatur, § 81. Quomodo *Purgatio* prodest in *Febribus* explicatur, § 82, & seq. Cautiones circa *Purgationem* in *Febribus*, *1ma*. Ut *Venesectio* sit immediate premissa, § 85. Ejus ratio explicatur, § 86. *2da*. Cautio ut *Volatilia* sint *Purgantibus* admista aut adjuncta, ejus ratio, § 88. Ultima *practica* Cautio ut *Paregoricum* seu *Medicamentum pacificum* sit adhibendum, post operationem *Purgationis*, § 89. Illius utilitates, § 91. Periculum contrariæ Methodi, § 92. Obser-

va-

pri- tio circa exhibitionem *PAREGORICI* ut dosis
ant. n tota simul debet exhiberi, § 94. Post hujus
me- *thodi* usum copiosi sæpe contingunt sudores,
di- orbum solventes, § 95. Quandoque morbus in *In-*
cau- *mittentem* transit & tum Cortici cedit, § 96. Æ-
hæ- orum dejectiones viscidæ a *Purgante* Medicamen-
ypo- , bonnum signum, § 97. Quando *Purgantia* non
53. erantur in *Febribus*, malum, § 99. Quid agen-
Ma- um cum *Diarrhœa* Febrem comitatur, § 100. Pe-
seq. cula *Methodi* curationis *Febrium* ad *Crisin* directæ,
fre- 101 hæc methodus curandi per *Purgationem*, non
au- t terminanda intra limites Febris unius *Constitu-*
vi- *tionis* & quare, § 102. Reliqua *Febrium Phænomena*
ad *ractica*, *Juvantia* & *Lædentia* expenduntur § 104.
fre- t *Salia Volatilia* & *Fixa*, *Testacea* & *Concreta Ma-*
ena- *na*, § 105. *Cucurbitularum* & *Hirudinum* usus ex-
ex- icatur, § 108. *Cutis Frictiones*, § 110. *Vesicato-*
ut- *a*, § 111. *Lædentia* in *Febribus* explicantur, uti
lia *dores Colliquentes*, § 112. *Continuus* in *Nudum le-*
na- *m* decubitus, § 113. *Diarrhœa*, 114. Dubium solvitur
ba- rca hanc *Hypothesin*, quod nempe facilis sit transitus
no- nguinis per *Pulmones* in Febribus § 115. *Exacerbati-*
32, *es* in *Pthisi pulmonum* confirmant hanc *Hypothesin*,
us, 118. explicatur cur difficilis sanguinis transitus per
5. anales non potius generet *Tumores* & *Inflamationes*
a- nam Febres, § 119. *Humorum Crassities*, & *viscositas*
a- t communis *causa Antecedens* omnium fere mor-
m- orum: *causa* Variationis *Typorum* explicatur, §
st 120 *Epilogus* ubi ostenditur hanc *Hypothesin circula-*
§ *tionis Minutæ* esse maximi momenti in Medecina, §
r- 121 & seq; In Appendice observationes aliquot hu-

jus

jus praxeos Curandi febris per Cathartica tradun
cum cautionibns aliquot practicis de uſu hujus
thodi : & breviter taxatur *Medicorum Deſidia* &
gligentia circa hanc *Praxim.* In fine, Animadve
in opusculum D. D. *P. Panthot* de methodo cura
Febres per purgantia & vomitoria.

FINIS.